DE

REBUS CHIORUM PUBLICIS

ANTE

DOMINATIONEM ROMANORUM

SCRIPSIT

***H. K. WHITTE*, A. M.**

ADJUNCTA EST

ENUMERATIO NUMORUM CHIORUM OMNIUM, QUOTQUOT EDITI SUNT, ET INEDITI NONNULLI, QUORUM IX TABULA ÆNEA EXPRESSI SUNT.

HAUNIÆ.

TYPIS *JANI HOSTRUP SCHULTZII* DIRECTORIS,
AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

MDCCCXXXVIII.

PRÆFATIO.

Veteres Chii insulæ res quum mihi proposuissem ut illustrarem, descriptis illis temporibus, quibus Romanorum imperio subjecta est insula, finem faciendum esse censui, quod, quum quasi particula quædam illius imperii præpótentis facta esset, nec satis commode neque cum delectatione aliqua historia ejus per se tractari posse videbatur.

Quod res privatas non attigi, brevis ratio consilii mei reddenda esse videtur. Ac quum duo sint imprimis, quæ a me omissa esse aliquis queratur, unum est de Homeridis, de quibus aptior erit disputandi locus, si quis totam quæstionem, quæ de Homero erit, tractandam sumpserit; alterum est de scriptoribus Chiis, quas partes si suscepissem, nimis multæ et diversi generis commentationes exstitissent, nullo alio vinculo, nisi Chio nomine conjunctæ; neque enim ea est ratio scriptorum Chiorum, quæ de Lesbiis valet, ut aut in lingua aut in genere scribendi, quod insulæ et universi populi proprium sit, aliquid habeant.

Præmissa est insulæ brevis descriptio, in qua veteres solos auctores secutus sum; neque enim, qui illas regiones recentiore ætate peragraverunt, aut plenam aut accuratam pulcherrimæ hujus insulæ imaginem protulerunt, unde in meam rem aliquid redundare posset.

Adjuncta est enumeratio Chiorum numorum, quotquot editi sunt, valde et aucta et emendata. Quod ut efficerem, tali modo factum est. Quum Krarupius, vir clarissimus, qui res Chiorum tractare instituerat, dum peregre proficiscebatur, Sestinium, V. Cl. cognovisset, hic cum illo plenissimam horum numorum enumerationem communicavit. Quam collectionem Krarupius ipse non paucis numis, quorum tractandorum facultas ei oblata est, descriptis auxit. Posthac aliis studiis ab his rebus distractus, quum ad eas ipsas res illustrandas accessisse me audivisset, quæ est ejus viri insignis liberalitas, omnia, quæ ab ipso diligenter et accurate collecta erant, ultro mihi obtulit, quod ob munus gratissimum ut illi viro gratias quam maximas his litteris agam, libenter facio. Ipse cum numos tractavi musei regii, et Christiani Frederici, principis celsissimi, et Fulbii, V. Cl. et Thomsenii, cujus viri clarissimi et harum rerum peritissimi singularis quædam facilitas comitasque non minus jucunda mihi fuit, quam utilis; tum enumerationes numorum Payne-Knightii, Münteri, Stieglitzii, musei Allierii (ed. Dumersan), supplementum operis Mionnetii sextum contuli.

De Chii rebus ante me scripserunt Bircherodius, *V. D. cujus liber manuscriptus in bibliotheca Universitatis nostræ exstat inchoatus;* Chryseides Chius, *cujus librum Hermannus V. Cl. (Lehrb. der griech. Staatsalt. p. 141) nullius pretii esse judicavit, ipse adipisci non potui;* Poppo, *V. D. cujus libellus (Beiträge zur Kunde der Insel Chius und ihrer Geschichte, Frankf. a. d. O. 1822, 4), quum antea frustra quæsivissem, his ipsis diebus ad me delatus est; nihil sane reperi, cur me illo libro caruisse poeniteret.* Corais *V. D. librum (qui inscribitur Χιακῆς ἀρχαιολογίας ὕλη, Ἄτακτ. III)*

non sine fructu perlegi, nec paucos locos veterum scriptorum illi viro acceptos refero; sed quum negligentissime ipse in locis utendis et interpretandis versatus sit, plurimi errores in librum ejus irrepserunt, quorum nonnullos notavi, plures non attigi, rem tædii pleniorem, quam aut voluptatis aut utilitatis.

Restat, ut officio satisfaciam suavissimo, gratiarum agendarum Madvigio, *viro doctissimo et amplissimo, qui non solum liberrimum mihi aditum bibliothecæ Universitatis nostræ patefecit, sed et consilio et opera quam maxime me adjuvit. Eandem summæ liberalitatis gratiam* Bröndstedio *debeo, viro illustrissimo, qui in numis tractandis similiter mihi adfuit.*

CONSPECTUS CAPITUM.

I.

§ 1. **C**hius insula ab omnibus partibus Ægæo mari alluitur. Occidentali lateri peninsulæ Joniceæ, quam Mimas mons occupat, objecta [1]), æquali fere tractu a septentrione meridiem versus ita extenditur, ut maris sinibus utrinque incisa, artior sit media, tum ad occasum hibernum versus leniter quasi in cuneum quendam procurrat.

Chium insulam inter Samum et Lesbum positam a Samo distare XCIII milibus passuum, Plinius (V, s. 38) tradit, Strabo [2]), a Lesbo minus D stadiis abesse; Agathemerus (Huds. II, p. 12) DCCL stadiis a Samo, a Mytilene DXX stadiis distare dicit Chium, urbem puto et propter auctos numeros et propter nomen Mytilenes urbis.

Neque vero in circuitu insulæ definiendo magis consentiunt veteres. Strabo (XIV, p. 645) eum oram legenti (*παρὰ γῆν φερομένῳ*) nongentorum stadiorum esse dicit. Plinius (l. l.) veteres circuitum CXXV milia passuum colligere statuisse, Isidorum IX milia adjicere tradit. Minimum circuitum insulæ attribuit Agathemerus (l. l. p. 17) sexcentorum sexaginta stadiorum.

Continuus montium nusquam valde altorum tractus totam fere insulam percurrit, unde fit, ut aspera sit insulæ superficies [3]). Quorum montium altissimus est *Pelinnæus* [4]), a septentrionali insulæ parte usque

[1]) *Χίος ἐπαντικρὺ τοῦ Μίμαντος*, Paus. VII, 4 init. *Κεῖται ἡ νῆσος Χίος μέση τῶν Ψύρων καὶ τοῦ Μίμαντος*, Schol. Hom. Odys. III, v. 171.

[2]) XIII, p. 619 Cas. *Διέχει δὲ ἡ Λέσβος Χίου σχεδόν τι τῶν πεντακοσίων ἐνδοτέρω σταδίων.* Paulo aliter idem XIV, p. 645: *Ἐκ Χίου δ' ἐς Λέσβον νότῳ τετρακόσιοί που στάδιοι.*

[3]) Unde *παιπαλόεσσα* dicitur, v. c. Hom. Odys. III, v. 170; hymn. in Apoll. v. 172 Wolf. cf. Athenæus VI p. 265, D.

[4]) Strab. XIV p. 645; Stephan. Byz. s. v. *Πέλιννα.* Dionysius perieget. v. 535: *καὶ Χίος ἠλιβάτοιο Πελινναίου ὑπὸ πέζαν.* Avien. descr. orbis v. 714: "Tumque Chius patulæ prospectans arva Pelinnæ." cf. Salmas. Exerc. Plin. in

ad urbem certe Chium tendens. Ad vulturnum ventum *Posidium* est promontorium, ab Argenno Erythrarum promontorio sexaginta fere stadiis distans [5]. Paulo infra *Phlium* promontorium fuisse statuendum est, quod Agathemerus (l. l. p. 12) a Corycæo monte, inter Eras et Erythras sito, quinquaginta stadiis abesse dicit. Meridiem versus *Phanæ* [6] sunt, et promontorium et portus altus in mare Ægæum versus. Tum sequitur *Notium* [7], ad occasum fere hibernum, litus stationi navium aptum, ab australi situ appellatum; deinde *Læus* [8], litus quoque navibus opportunum, unde ad urbem Chium isthmus est sexaginta stadiorum, ibique insula artissima; (naviganti autem meridiem versus ab urbe ad hoc litus spatium trecentorum sexaginta stadiorum conficitur). *Τὰ Κοῖλα τῆς Χίης χώρης*, cujus loci mentionem facit Herodotus (VI, 26), sinum fuisse suspicor, ab occidente hunc isthmum efficientem [9]. Ad caurum denique surgit promontorium *Nigrum* (ἡ μέλαινα ἄκρα) [10] e regione Psyrorum, a quibus quinquaginta (LX habet vetus interpres) stadiis distat.

Solinum p. 607. De ratione hujus nominis scribendi cf. Bernhardy ad Dionys. l. l. Ann. II, p. 670 seq. Verum jam vidit Salmasius (l. l.).

Ejus montis nomen ter corruptum legitur apud *Schol.* Germanici Phæn. Arat. ed. Buhle p. 44 et p. 77: "in monte *Chelippio*" — "in monte *Celsionio*" — "in monte *Celionio*"; ignorantiam et negligentiam hujus scholiastæ jam inde cognoscas, quod Arionem et Orionem confundit. Quem scholiastam geographi quidam recentiores secuti, montem Chelippum in Chio fuisse tradiderunt; cf. Corais *Ἀτακτ.* III, p. 24.

5) Strab. XIV p. 644 inf. seq. De Posidio Milesiorum vid. Strab. XIV p. 658 § 22.

6) De promontorio Liv. XLIV, 28, Ptolemæus, l. V, c. 2, ed. Bert. p. 121 (ἡ Φαναία ἄκρα), Steph. Byz. s. v. *Φάναι· ἀκρωτήριον τῆς Χίου, ἀπὸ τοῦ ἐκεῖθεν ἀναφανῆναι τῇ Λητοῖ τὴν Δῆλον.* Quæ explicatio nominis stulte quæsita est. Simpliciter a situ, quod *conspicuum* est promontorium, repetendum est nomen. De portu Strab. XIV, p. 645, Liv. XXXVI, 43.

7) Strab. l. l. Bene distingvendum est Notium oppidum Colophoniorum, de quo vid. Liv. XXXVII, 26, 5 ibique Drakenborch.

8) Strab. l. l. nomen controversum est, cf. Coraes l. l., p. 14.

9) Rationem nominis explicat Strab. X, p. 445: *Καὶ πρῶτον, ὅτι τῆς Εὐβοίας τὰ Κοῖλα λέγουσι τὰ μεταξὺ Αὐλίδος καὶ τῶν περὶ Γεραιστὸν τόπων· κολποῦται γὰρ ἡ παραλία.* Cf. Valcken. ad Her. VI, 100; Duker ad Liv. XXXI, 47.

10) Strab. l. l. In regione Erythræa promontorium erat ejusdem nominis; Strab. XIV p. 645 init.

Postremo loco mihi nominanda est *regio Ariusia*, aspera et sine portubus, stadiorum trecentorum, optimum vinum inter Græca ferens [11]).

Insula fontibus abundat, quorum apud veteres scriptores commemoratur *fons Helenæ* et fons quidam, e quo qui bibissent, insipientes fieri dicebantur [12]).

Insulæ amoenitatem et aëris salubritatem summis laudibus extulerunt veteres scriptores. Breviter hujus insulæ laudem perstringit auctor hymni in Apollinem (v. 38 ed. Wolf):

Χίος ἣ νήσων λιπαρωτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται.

Plurimis verbis eandem rem exposuit Diodorus Siculus (V, 82). Verba ejus hæc sunt: *Αἱ δὲ νῆσοι* **(Lesbus, Chius, Samus, Cos, Rhodus)** *διαπνεόμεναι καὶ τὸν ἀέρα παρεχόμεναι τοῖς ἐνοικοῦσιν ὑγιεινόν, ἔτι δὲ τοῖς καρποῖς ἐπιτυγχάνουσαι, μᾶλλον εὐπορίας ἔγεμον καὶ ταχὺ τοὺς κατοικοῦντας αὐτὰς μακαρίους ἐποίησαν· διὸ*

---

11) Strab. XIV p. 645. Nulla fides habenda est Vibio Sequestri scribenti: "*Arvis* (sic) mons in insula Chio, unde vinum Arvisium." (ed. Oberl. p. 289). De ratione hujus nominis scribendi, cf. Schweighäuser ad Athen. I, p. 32 F. Quod nimius ambitus huic regioni a Strabone assignari videtur, tenendum est, satis apparere, Strabonem insulam tantummodo circumnavigasse, neque accurate et dedita opera descripsisse. — Habemus hic luculentum negligentiæ et stuporis Stephani Byzantii exemplum, Strabonem auctorem laudantis, non sequentis. Is enim hæc scripsit s. v. *Ἀρουσία· χωρίον τῶν Ψύρων καὶ Χίου, τραχεῖα καὶ ἀλίμενος, ὅσον σταδίων τριάκοντα, οἶνον ἄριστον ἔχουσα, καλούμενον Ἀρούσινον* (f. leg. *Ἀρουήσιον*), *οὗ μέμνηται Στράβων τεσσαρεσκαιδεκάτῃ, καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας τοιῶσδε κλητέον κατὰ συγκοπὴν τοῦ σι. ἦν γὰρ Ἀρουσιηνὸς ἢ Ἀρσυηνός, ὡς καρδία, καρδιανός, Ὀλβία, Ὀλβιανός, Ἀδρία, Ἀδριανός.* Primum quidem nomen depravavit; deinde addit regionem illam et Psyrorum et Chii esse (nam conjectura Berkelii V. D., *μεταξὺ* inserentis, et violenta est et ne ferri quidem potest; quis enim isto modo situm regionis alicujus definiret?) Ut in numero etiam Strabonem relinqueret, de industria credo eum fecisse, quod meminisset, Psyra quadraginta modo stadiorum circuitu esse! Sed fontem erroris Stephani in verbo, quod est *Ἀρσυηνός*, mihi videor deprehendisse. Commemorat enim Galenus (de comp. med. per loc. II, 1, p. 361, ed. Kühn XII, p. 517) inter vina nobilia Asiatica Ariusium et *Arsyenium*. Cujus vini patria quum, quod sciam, ignota sit, equidem Psyris, nobilitato vini excellentibus, illud vinum assignandum esse puto et error Stephani in aperto erit.

12) Steph. Byz. s. v. *Ἑλένη· κρήνη ἐν Χίῳ, ἐφ᾽ ᾗ Ἑλένη ἐλούσατο.*

Vitruvius (VIII, 3, 22): "Est in insula Chio fons, e quo qui imprudentes biberint, fiunt insipientes, et ibi est epigramma insculptum ea sententia, jucundam esse potionem fontis ejus, sed qui biberit, saxeos habiturum sensus. Sunt autem versus hi:

Ἡδεῖα ψυχροῦ πόματος λιβάς, ἣν ἀνίησι Πήγη, ἀλλὰ νόῳ πέτρος ὁ τῆσδε πιών.

καὶ μακάρων ὠνομάσθησαν νῆσοι, τῆς εὐπορίας τῶν ἀγαθῶν αἰτίας γενομένης τῆς προσηγορίας. [13]) — *καθόλου δὲ αἱ προειρημέναι νῆσοι διήνεγκαν εὐδαιμονίᾳ μάλιστα τῶν σύνεγγυς κειμένων οὐ μόνον κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν ἡμετέραν ἡλικίαν· ἀρετῇ γὰρ χώρας καὶ τόπων εὐκαιρίᾳ ἔτι δ' ἀέρων κράσει καλλιστεύουσαι κατὰ λόγον καλοῦνται καὶ πρὸς ἀλήθειάν εἰσιν εὐδαίμονες.*

§ 2. Habebat Chius marmor versicoloribus maculis distinctum; quapropter ne Chii quidem artifices hoc marmore in operibus suis usi esse videntur. [14]) Lapicidinas Chiorum commemorant Theophrastus, Cicero, Strabo, Plinius. [15]) Aliud genus marmoris Chii fusci significare videtur Theophrastus, qui quum parum distincte de illo marmore scripsisset in errorem Plinium induxit. [16]) Erat etiam Chiis genus terræ quoddam, cujus usus et in medicaminibus et ad mulierum maxime cutem commendabatur. [17])

---

[13]) Aliter de hac appellatione judicat Plehn, V. D. Lesb. p. 31-34.

[14]) Quad conjicere licet e Plin. H. N. XXXVI, s. 4, § 2.

[15]) Theoph. de lap. § 6, Schneid. I, p. 687: *Διωνομασμέναι λιθοτομίαι Παρίων τε καὶ Πεντελικῶν, καὶ Χίων τε καὶ Θηβαϊκῶν.* — Strab. XIV, p. 645, quem secutus est Eustath. ad Dionys. perieg. v. 533; I, p. 209, 25, ed. Bernhardy.— Cicero de divinat I, 13, 23: "Fingebat Carneades, in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput exstitisse Panisci. Credo, aliquam non dissimilem figuram, sed certe nan talem, ut eam factum a Scopa diceres." Cf. de div. II, 21, § 48 seq.

Plinius XXXVI, 5 extr. 6: "Primum, ut arbitror, [non recte, ut e Ciceranis l. l. videre licet] versiculores istas maculas Chiorum lapicidinæ astenderunt, quum exstruerent muros; faceta in id M. Ciceronis sale, omnibus enim ostentabant ut magnificum: "multa, inquit, magis mirarer, si Tiburtino lapide fecissetis."

[16]) Theaphrast. de lap. § 6, ed. Schneid. I, p. 688: *Ἔστι δέ τις καὶ μέλας αὐτόθι* (in Ægypta) *διαφανής, ὅμοιος τῷ Χίῳ.* (inde Plin. XXXVI, 28) et § 33, Schneid. I, p. 694: *Οἷον τὸ ἀνθράκιον τὸ ἐξ Ὀρχομενοῦ τῆς Ἀρκαδίας· ἔστι δ' οὗτος μελάντερος τοῦ Χίου· κάτοπτρα δ' ἐξ αὐτοῦ ποιοῦσι.* Hoc loco deceptus Plinius (XXXVII, 25) tradidit, Theophrastum auctorem esse et in Orchomeno Arcadiæ et in Chio *carbunculos* inveniri etc. sed cf. Schneid. Annot. ad Theophr. IV, p. 565 et Beckmann Beiträge zur Geschichte der Erfindungen, Tom. III, p. 497, seq.

[17]) Dioscorides V, 173 (ed. Sprengel I, p. 823) accurate illud terræ genus descripsit. Inde sua sumpserunt Plinius XXXV, 56 et Galenus de facultate simp. med. IX, 1; Chart. XIII, p. 250 (Kühn XII, p. 181) et Oribasius XIII, p. 226 Aldin. Fuit in Samo terra ejusdem effectus, de qua vid. Dioscor. V, 171 (Spr. p. 822).

Murices ipsos Chiis fuisse, non traditur; sed certe Chium purpura abundasse, concludere licet e verbis Phylarchi apud Athenæum.[18]) Commemorantur cochleæ terrestres quædam et pectines.[19]) Ostreas a Lesbo ad sui maris scopulos Chii quidam aliquando nequicquam transferre conati sunt.[20])

Nymphodorus tradit (apud Athenæum VI, p. 265) fuisse Chium arboribus obsitam. *Pinis* quidem abundasse videtur, inde *πιτυοῦσσα* appellata.[21]) Erat ad Phanas lucus *palmarum* (testis est Strabo XII, p. 645). Ferebat etiam Chius *Ἀμαμηλίδας*, diversum quidem a piris genus, sed tamen simile[22]), et *pirum* quam *τὴν Φωκίδα* appellabant[23]). Chias

---

[18]) Athen. XII, p. 539 F. seq. *Ἔγραψε δὲ καὶ τότε Ἀλέξανδρος ταῖς ἐν Ἰωνίᾳ πόλεσιν καὶ πρώτοις Χίοις, ὅπως αὐτῷ πορφύραν ἀποστείλωσιν.*

[19]) Dioscor. II. 11 (Spr. p. 171) *Κοχλίας χερσαῖος εὐστόμαχος, δύσφθαρτος· ἄριστος δὲ ὅ τε ἐν Σαρδῶνι καὶ Λιβύῃ καὶ Ἀστυπαλαίᾳ καὶ Σικελίᾳ καὶ Χίῳ γεννώμενος.* Pectunculum Chium laudant Varro apud Aulum Gellium N. A. VII, 16, et Xenocrates de alim. ex aquat. c. XIX (Fabricii biblioth. IX, p. 462 editionis I).

[20]) Aristoteles de generat. anim. III, 11 (cf. Annot. Schneid. III, p. 315 seq.): *Ἐπεὶ γὰρ Χῖοί τινες ἐκ Πύῤῥας τῆς ἐν Λέσβῳ τῶν ὀστρέων διεκόμισαν ζῶντα, καὶ εἰς τόπους τινὰς τῆς θαλάττης εὐριπώδεις καὶ ὁμοίους ἀφεῖσαν, πλείω μὲν τῷ χρόνῳ οὐδὲν ἐγίνετο, τὸ δὲ μέγεθος εἰς αὔξησιν ἐπέδωκε πολύ.*

[21]) Plinius V, 38. Strab. XIII, p. 589, § 18, cf. Schol. Aristoph. Plut. v. 586.

[22]) Athen. XIV, p. 650 D: *Οὐκ εἰσὶν ἄπιοι, ὥς τινες οἴονται, ἀλλ' ἕτερόν τι καὶ ἥδιον καὶ ἀπύρηνον.* Quam sententiam suam ut probet Athenæus verba affert Æschylidis rei rusticæ scriptoris cujusdam: *Ἀπίους ἡ νῆσος (Κέως) φέρει κρατίστας κατὰ τὰς ἐν Ἰωνίᾳ καλουμένας ἀμαμηλίδας.* Sic Athenæus ipse refellit infelicem Villebrunii et Schweighäuseri conjecturam, qui *propter hæc ipsa verba Æschylidis* et *contra metrum* in obscuro illo versu Aristomenis poëtæ: *ὁ Χῖος οὐκ οἶσθ' ὡς ἀμαμηλίδας ποιεῖ;* legendum censuerunt, alter *ἡ Κέως*, alter *Ἡ Κεῖος*, pro *ὁ Χῖος*. Plura de illo fructu congessit Coraes l. l., p. 56-58.

In illo versu verbum "*ποιεῖν*," de arte condiendi vel præparandi quadam fortasse intelligendum est. Artis enim culinariæ laude floruerunt Chii; cf. Athenæus (I, p. 25, F): *Χῖοι πολὺ ἄριστ' ἀνευρήκασιν ὀψαρτυτικήν.* Coquus nobilis laudatur Chius Nereus (Athen IX, p. 379, E) et scriptor rei culinariæ Chius Simonactides (Pollux VI, 10, 71). Etiam *amyli* inventio Chiis adscribitur; Plin. XVIII, 7, 17; "amylum vero ex tritico ac siligine; — inventio ejus Chio insulæ debetur; et hodie laudatissimum inde est." de amylo cf. Diosc. II, 123.

[23]) Theophr. de caus. plant. II, 15, p. 121 ed. Schneid. Plin. XVII, 37, 9. de hac piro cf. Athen. I, 32, E.

ficus veteres scriptores multi laudant[24]). *Oleis* Chium abundasse, testatur narratio quædam Aristotelis (Polit. 1, 4, 5). *Tragoriganon*, fruticem quendam commemorat Dioscorides (III, 32, Sprengel). cf. Corais *Ἀτακτ.* III p. 439.

Laudatissimi vero hujus insulæ fructus sunt *mastiche* et *vinum*.

Mastiche Chia, cujus hodie tanta est auctoritas, ut inde nomen (*Sakes*, quod significat mastichen) insula traxerit, jam antiquitus et notissima erat et usu maxime celebrata. Mastiche arboris lentisci gutta est, (ut verbis utar Isidori, orig. XVII, 8) ex qua parabatur et *resina* illa optima[25]), cui una præstitit *resina terebinthina*[26]), qua Chium quoque excelluisse verisimile est[27]), et *oleum* svavissimum[28]).

Vinum Chium, a veteribus summis laudibus celebratum, hodie quoque gloriam illam pristinam facile tuetur. Hermippus quidem (apud Athenæum, 1, p. 30, E) his verbis laudem ejus effert:

Τοῦτον (τὸν Θάσιον) ἐγὼ κρίνω πολὺ πάντων εἶναι ἄριστον
Τῶν ἄλλων οἴνων μετ' ἀμύμονα Χῖον ἄλυπον.

---

[24]) Plin. XV, 19; Varro de R. R. 1, 41, 6; Macrob. Saturn. II, 16, cf. Columel. X, v. 414, Calpurn. Ecl. II, 81; de ficis Romæ nascentibus Chiis dictis, Athen. III, p. 75, F; 80, C.

[25]) Dioscorides I, c. 90: *Γεννᾶται δὲ καὶ ῥητίνη ἐξ αὐτῆς* (*τῆς σχίνου*, de qua vid. Dioscor. 1, 89) *σχινίνη καλουμένη, ὑπ' ἐνίων δὲ μαστίχη* (etiam *resina Chia* appellata; Galen. de comp. med. per gen. VII, 3; Kühn XIII p. 955; de qua hæsit Coraes l. l. p. 60) *χρησιμεύουσα πρὸς αἵματος ἀναγωγὰς καὶ πρὸς παλαιὰν βῆχα πινομένη· ἔστι δὲ εὐστόμαχος, ἐρευκτική· μίγνυται δὲ καὶ σμήγμασιν ὀδόντων καὶ ἐπιχρίσμασι προσώπου στιλβοποιοῦσα· ἀνακολλᾷ δὲ καὶ τρίχας ἐν ὀφθαλμοῖς, στόματός τε εὐωδίαν ποιεῖ διαμασσομένη* (cf. Plin. XXIV, 74) *καὶ οὔλων ἐστὶ σταλτική. Γεννᾶται δὲ καλλίστη καὶ πλείστη ἐν Χίῳ τῇ νήσῳ· διαφέρει δὲ αὐτῆς ἡ λαμπρίζουσα καὶ Τυῤῥηνικῷ κηρῷ ὁμοία, ἡ δὲ χλωρὰ ἥττων· δολοῦται δὲ λιβάνου καὶ ῥητίνης στροβιλίνης μιγνυμένων αὐτῇ.* Ex his verbis extremis interpretandus est sensus verborum Plinii corruptorum l. XII s. 36: "Adulteratur (mastiche) ut thura resina." Cf. Galen. de comp. med. per gen. VII 3, Kühn XIII p. 956.

[26]) Cf. Dioscorides 1. c. 91.

[27]) Cf. Coraes l. l. p. 60.

[28]) Dioscorides I, 51. *Τὸ δὲ μαστίχινον* (*ἔλαιον*) *ἐκ τῆς μαστίχης λείας σκευάζεται· ποιεῖ δὲ πρὸς τὰ ἐν ὑστέρᾳ πάντα, ἠπίως θερμαῖνον, στῦφον, μαλάσσον, καὶ πρὸς τὰ περὶ τὸν στόμαχον ἐπιῤῥιπτόμενα σκιῤῥώματα, καὶ κοιλιακὰ καὶ δυσεντερικὰ, καὶ τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου καθαῖρον, καὶ εὔχροιαν ποιοῦν. Συντίθεται δὲ ἐν Χίῳ τῇ νήσῳ κάλλιστον.* Plura de his rebus si cui placebit cognoscere, is adeat Galandium, (apud Choiseul. Gouffier. voyage pittoresque 1, c. 5 p. 88-91) Tournefortium (voyage epit. 9), Coraem (l. l. p. 58-60 et p. 439).

Lenitatem et usum ejus in medicina imprimis respicit Dioscorides (V, 10), et vinis Italicis præfert: Ὁ μέντοι Χῖος ἁπαλώτερος τῶν προειρημένων, εὔτροφος, πότιμος, ἧττον μεθύσκων, ῥεύματος σταλτικός, χρήσιμος εἰς τὰ ὀφθαλμικά.[29])

Theopompus Chius (Athen. 1, p. 26, B) auctor est, nigrum vinum primum apud Chios inventum esse, eosque primos ab Oenopione Bacchi filio edoctos vitem coluisse et ceteris hominibus illam artem tradidisse.

Inter vina Chia summo erat in honore Ariusium, cujus tria genera Mnesitheus medicus (Athen. 1, 32, F) distinguit et his verbis describit: Χαριέστερός ἐστιν ὁ Χῖος (quam Cnidium et Lesbium vinum) καὶ τοῦ Χίου ὁ καλούμενος Ἀριούσιος· διαφοραὶ δὲ αὐτοῦ εἰσι τρεῖς· ὁ μὲν αὐστηρός ἐστιν, ὁ δὲ γλυκάζων, ὁ δὲ μέσος τούτων τῇ γεύσει αὐτόκρατος καλεῖται. Ὁ μὲν οὖν αὐστηρὸς εὐστομός ἐστι καὶ τρόφιμος[30]), καὶ μᾶλλον οὐρεῖται· ὁ δὲ γλυκάζων τρόφιμος, πλήσμιος, κοιλίας μαλακτικός· ὁ δὲ αὐτόκρατος τῇ χρείᾳ μέσος ἐστί· κοινῶς ὁ Χῖος πεπτικὸς, τρόφιμος, αἵματος χρηστοῦ γεννητικὸς, προσηνέστατος, πλήσμιος, διὰ τὸ πολὺν εἶναι τῇ δυνάμει.

Album vinum Ariusium Galenus sæpius commemorat et in medicina utilissimum esse dicit[31]).

Etiam ad Phanas nobiles vites nascebantur; itaque Virgilius[32]):

Sunt etiam Amineæ vites, firmissima vina,
Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanæus.

Magno pretio Athenis Chium vinum constitisse, docet narratio quædam Plutarchi (de tranq. animi c. X).

---

[29]) De laudibus hujus vini cf. Strab. XIV p. 637. Aristoph. eccles. v. 1139 Dind. Athen. 1, p. 29, A et XI p. 484 F. cf. Perizonius ad Ælian. V. H. XIII, 31 [Plaut. Poen. III, 3, 35. loquitur de vino *Coo*] Plinius XIV, 7, 19: "In summo honore post Homerica illa vina fuere Thasium Chiumque; ex Chio quod Arvisium vocant."

[30]) Schweighäuserus conjecit: καὶ ἧττον τρόφιμος; qua conjectura non opus est. Primum enim inter communes virtutes vini Chii τροφιμότης laudatur; deinde Dioscor. V, 11 docet, austerum vinum esse θρεπτικόν, ῥωστικόν.

[31]) Galen. de comp. med. sec. loc. II, 1 et IV, 6 (Kühn XII p. 517 et 728) de comp. med. per gen. 1, 7 et II, 10 (Kühn XIII, p. 405 et 513) et sæpius.

[32]) Georg. II, 97 seq. cf. interpp. ad h. l. et Heindorf ad Hor. Serm. II, 3, 115.

Quanto in honore apud Romanos fuerit vinum Chium, nemo mediocriter quidem doctus ignorat. Notissimum est illud Horatii (carm. III, 19, 5):

Quo Chium pretio cadum mercemur.

Immortali honore Ariusium dignum habuit Virgilius (ecl. V, 71):

Vina novum fundam calathis Ariusia nectar [33]).

§ 3. *Chius urbs* in orientali litore insulæ sub imo monte Pelinnæo sita e regione maxime Erythrarum [34]), bonum portum habebat, octoginta navium capacem, aggere munitum [35]). Ipsam urbem muro plerumque cinctam fuisse, historia docet.

Delphinium oppidum in orientali litore prope a Chio distabat, magis ad septentiones spectans; et a mari et a terra bene munitum, portubus instructum erat [36]).

---

[33]) Virgilium imitatus est quodammodo Silius Italicus (VII, 210):

Ambrosiis Ariusia pocula succis.

Cf. Varro de R. R. II præf. § 3, p. 212 Schneider: "vindemiam navibus condimus ex insula Coa et Chia" (qui locus a Corao (l. l. p. 49) de frumento falso laudatus est). Horat. Serm. I, 10, 24: "Svavior, ut Chio nota si commista Falerni est." cf. Heindorf ad h. l. Tibul. II, 1, 28. Auson. epist. XVIII, 32. Plin. XIV s. 17: Ibi Varro loquens inducitur: "C. Sentius, quem prætorem vidimus, Chium vinum domum suam illatum dicebat tum primum, quum sibi cardiaco medicus dedisset." Diodor. Sic. (in exc. de virt. et vit. e. l. XXXVI, Wessel. p. 609), luxum Romanorum describens et mores depravatos, hæc habet: *Τῶν δὲ οἴνων ὁ μὲν μετρίως τέρπων τὴν γεῦσιν ἀπεδοκιμάζετο· Φάλερνος δὲ καὶ Χῖος καὶ πᾶς ὁ τούτοις ἐφάμιλλον ἔχων ἡδονὴν — ἀνέδην ἀνηλίσκοντο.*

[34]) Plin. V, 38. Stephan. Byz. s. v. *Χίος*. De altera Chio, urbe Cariæ, de qua loquitur Stephanus, cf. Salmasius (l. p. 1 annot. 4 l.) optime Stephani errorem refutans. — Fretum quod inter Chium et Erythras esset *τὸ Ἔμβατον* appellatum esse, narrat Schol. Thucyd. III, 29. Dubitare tamen licet, quoniam Thucydides ipse illud *τὸ Ἔμβατον τῆς Ἐρυθραίας* appellat.

[35]) Strab. XIV p. 645, Eustath. ad Dionys. perieg. 533. Non admodum profundum fuisse illum portum conjicere licet ex loco Pliniano (XXXI, s. 28): "Quædam aquæ vere statim incipiente frigidiores sunt, quarum non in alto origo est; hibernis enim constant imbribus; quædam Canis ortu, sicut in Macedoniæ Pella utrumque. Ante oppidum enim incipiente æstate frigida est palustris: dein maximo æstu in excelsioribus oppidi riget. Hoc et in Chio evenit, simili ratione portus et oppidi." Locum Plinianum paulo obscuriorem ita interpretatur Harduinus: "ut in portu ejus insulæ incipiente æstate frigida aqua sit, in excelsioribus oppidi partibus maximo æstu rigeat."

[36]) Thucyd. VIII, 38; inde Steph. Byz. s. v. Harpocrat. Suid. s. v. Schol. Aristoph. equit. v. 772, Dind. Muros Callicratidas Laco evertit, Diod. Sic. XIII, 76.

Cardamyle oppidum ad mare situm septentriones versus fuisse videtur. [37]

Bolissus oppidum erat in occidentali litore insulæ prope ab Ariusia regione situm. [38]

Leuconium oppidum commemorat Thucydides (VIII, 24.); situs ejus incertus est.

Πολίχνης τῆς Χίων mentionem facit Herodotus (VI, 26); videtur esse nomen proprium oppidi cujusdam, ad *τὰ Κοῖλα* siti. [39]

Carides urbem a Macare post diluvium Deucalionis conditam, suo adhuc tempore illo nomine appellari, auctor est Ephorus. [40]

Caucasa locum quendam Chii commemorat Herodotus (V, 33 seq.); portus vel statio ad hibernum fere occasum fuisse videtur.

Pitys locus quidam prope Bolissum ab auctore vitæ Homeri (c. XX et XXIII) nominatur.

Babrantii loci cujusdam in Chio insula et *Babrantis* oppidi prope Chium (urbem) Stephanus Byzantius meminit. [41]

§ 4. Antiqua Chii nomina multa afferuntur, de quibus præcipuus est locus Plinii (V, 38): "Chium *Æthaliam* [42] *Ephorus* prisco nomine appellat, Metrodorus et Cleobulus *Chiam* a Chione nympha,

---

[37]) Thucyd. VIII 24, inde Steph. Byz. s. v. Eustath. ad Il. IX, v. 150, ubi de Cardamyle Laconica sermo est.

[38]) Thucyd. VIII, 24. Steph. Byz. s. v. *Βολισσὸς πόλις Αἰολική* (sic negligenter, ut solet, Steph.) *ἐπ' ἄκρον Χίου πλησίον. Θουκυδίδης Βόλισκον αὐτὴν καλεῖ* (sic unus certe cod. Vatic. habet) *καί φασιν, ὅτι Ὅμηρος ἐν τούτῳ τῷ πολίσματι τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο, ὡς Ἔφορος· Ἀνδροτίων δὲ δι' ἑνὸς Σ γράφει.* Cf. auctor vitæ Hom. c. XXIII, seq. Suid. s. v. *Ὅμηρος.* Anna Comnena VII, p. 208, a.

[39]) Cf. Goeller de situ Syracusarum p. 86.

[40]) Apud Athen. II, 1, p. 105, D. Steph. Byz. (s. v. *Καρία*) illam urbem *Phrygiæ* fuisse affirmat.

[41]) Steph. Byz. s. v. *Βαβράντιον τόπος περὶ Χίον . . . Ἔοικε δὲ ὑποκοριστικὸν τοῦ Βάβρας;* deinde pergit: *Βάβρας πολίχνιον Αἰολίδος ἐγγὺς Χίου.* Quod Steph. illud oppidum Æolicum facit, nihil obstat, quo minus in Chio fuisse putemus. Similiter Bolissum Æolicam facit. Quod moneo propter verba Corais (Atact. III, p. 8); nam de re ipsa solo Stephani testimonio affirmata nihil definio.

[42]) Cf. Steph. Byz. s. v. *Αἰθάλη;* sed quum multi sint loci Stephani negligenter et perverse scripti, tum hic locus negligentia et perversitate ceteris facile præstat. Suid. s. v. *Χίος· λέγεται καὶ Αἴθλη.* Idem habet Theognost. canon. ed. Cramer. Anecd. Gr. II, p. 5.

aliqui a nive[43]), et *Macrin*[44]) et *Pityusam*." [45]) *Ophiusam* Chium appellatam esse, auctor est Theon.[46])

Quorum nominum nullum unquam in communi hominum usu versatum fuisse credo; pleraque appellativa sunt, a poëtis fortasse usurpata, a Grammaticis pro veris nominibus habita. E nomine insulæ et urbis *Χῖος* adjectiva forma fingitur, quæ forma eadem de incolis usurpatur[47]); gentile etiam *Χιώτης* apud Memnonem legitur.[48])

§ 5. Chium complures insulæ parvæ circumfusæ sunt; testis Plinius est (V, 38): "Finitimæ sunt Thallusa, quam alii Daphnusam scribunt, Oenussa, Elaphitis, Euryanassa, Arginussa cum oppido."

De Arginussa sine dubio erravit Plinius. Ceteræ ignotæ sunt præter Oenussa vel rectius Oenussas. Etiam Stephanus Hecatæo

---

[43]) Inani nominis *Chii* explicandi studio veteres frustra lodulserunt. *Jon Chius* (apud Pauson. VII, 4, 6) nominis rationem ito explicare studuit: *Ποσειδῶνα ἐς τὴν νῆσον ἔρημον οὖσαν ἀφικέσθαι, καὶ νύμφῃ τε ἐνταῦθα συγγενέσθαι, καὶ ὑπὸ τὰς ὠδῖνας τῆς νύμφης χιόνα ἐξ οὐρανοῦ πεσεῖν ἐς τὴν γῆν, καὶ ἀπὸ τούτου Ποσειδῶνα τῷ παιδὶ ὄνομα θέσθαι Χῖον.* Comminuit hanc fabulam in tres miseros particulas diligentia Stephani (s. v. *Χῖος*): *ἀπὸ Χίου τοῦ Ὠκεανοῦ, ἢ ἀπὸ τῆς χιόνος, τῆς ἐκεῖ γιγνομένης πολλῆς* (!) *ἢ ἀπὸ νύμφης τῆς Χιόνης.*

Aliter Isidorus (Orig. XIV, c. 6) rem aggressus est: "Chius insula Syra lingua oppellatur, eo quod ibi mastix gignitur. Syri enim mastichen Chion vocant". cf. quæ contra Isidorum disputavit Bochart. (Geogr. sacr. I, c. 9 p. 382 seq.) cujus ipsius ratio omnia e lingvo Syrorum repetendi, ingenioso illa quidem plerumque, jam diu abjecta est.

[44]) De hoc nomine cff. interpp. Callimach. hymn. in Del. v. 20. Quod Harduinus ad h. l. dicit, mirum esse, existimasse Livium (XXXVII, 13, 5) Æthaliam et Chium et Macrin tres insulas, ut nomine, ita re dispares fuisse, cf. Duker ad Liv. l. l.

[45]) Cf. quæ p. 5, annot. 21, de hoc nomine contulimus.

[46]) Ad Arat. Phæn. v. 635. Chium antiquitus serpentibus et ejusmodi animalibus infestam fuisse docet quum fabula Orionis, tum quam servavit Ælianus (H. A. XVI, 39) de serpente illo maxima, incolas solis sibilis exanimonte. Ad hanc fabulam sine ulla causa idonea Coraes (l. l. p. 21) locum retulit Theopompi Chii apud Dionys. Hal. epist. ad Cn. Pompeium c. 6, Reiske p. 787.

[47]) Cf. de re nota Passow. Lex. s. v. cf. Lexic. Zonaræ, Etym. Magn. s. v. Choerobosci orthogr. (Cramer Anecd. gr. II, p. 275, 14) Steph. Byz. s. v. Forma non contracta usus est Demodocus Lèrius (Anth. gr. II, p. 56 ed. Jacobs): *Προκλέης Χίιος.*

[48]) Apud Phot. cod. 224, Bekker I, p. 231. "Nisi id potius abbreviator Photius ita formavit sæculi sui usum secutus, qui etiam nunc obtinet." Holsten. ad Steph. Byz. l. l. Dubitari vix potest; nam *Χίους* ibidem bis ante scriptum est.

auctore unam insulam hoc nomine designari putavit: *Οἰνοῦσαι, νῆσος τῇ Χίῳ προσεχής.* Sed refelluntur Plinius et Stephanus auctoritate Herodoti et Thucydidis.[49]) Has insulas in dicione fuisse Chiorum Herodotus docet (I, 165).

II.

§ 1. *Pelasgos Thessalicos* antiquissimos fuisse Chii incolas, Chii ipsi credebant (Strabo[50]) testis est). Mihi quidem vestigium quoddam Pelasgorum videtur esse nomen montis Pelinnæi, qui ab urbe antiqua Thessaliæ Pelinna sive Pelinnæo[51]) nomen traxisse dicitur; ex qua urbe, cultu deorum sacra[52]), etiam fortasse repetendus est cultus Jovis Pelinnæi, cujus memoriam solus servavit Hesychius[53]). Talis consensus nominum antiquissimam certe Thessaliæ et Chii conjunctionem, quæ temporibus historiæ fide descriptis nulla erat, ostendit; neque explicari potest, nisi eundem populum utriusque regionis cultorem antiquitus fuisse statuimus; id quod in solos Pelasgos cadit. Eodem Strabone teste[54]), qui Menecrate quodam auctore utitur, Pelasgi totam oram Asiæ minoris illam, quæ postea Jonia appellata est, et insulas adjacentes habitasse dicuntur, donec, Trojano jam bello fractis viribus, denique ab Æolibus et Jonibus immigrantibus oppressi prorsus interierint.

---

[49]) Her. I, 165: *τὰς νήσους τὰς Οἰνούσσας* (cod. Flor. *Οἰνούσας*) Thuc. VIII, 24: *Οἰνουσσῶν τῶν πρὸ Χίου νήσων.* De nominis scribendi ratione cf. Sylburg. ad Paus. p. 921, ed. Kuhn.

[50]) XIII, p. 621, § 3. *Χῖοι δὲ οἰκιστὰς ἑαυτῶν Πελασγούς φασι, τοὺς ἐκ τῆς Θετταλίας.* Inde Eustath. ad Dionys. v. 533: *Ταύτης οἰκισταὶ Πελασγοί.* cf. in univers. Niebuhr H. R. I, p. 37 seq. (ed. III).

[51]) Steph. Byz. s. v. *Πέλιννα πόλις Θεσσαλίας.* Schol. Pind. Pyth. X, 6. Boeckh. p. 411: *Πελινναῖον πόλις Θεσσαλίας, — ἀφ' ἧς καὶ τὸ ἐν Χίῳ ὄρος ἐκλήθη.* Cf. Scyl. Caryand. § 65, ed. Huds. G. M. I, p. 25.

[52]) Itaque apud Scylac. l. l. *ἱερὸν Πελινναῖον* vocatur.

[53]) Hesych. s. v. *Πελινναῖος ὁ Ζεὺς ἐν Χίῳ.*

[54]) Strab. l. l.: *Μενεκράτης γοῦν ὁ Ἐλαΐτης ἐν τοῖς περὶ κτίσεων φησί, τὴν παραλίαν τὴν νῦν Ἰωνικὴν πᾶσαν ἀπὸ Μυκάλης ἀρξαμένην ὑπὸ Πελασγῶν οἰκεῖσθαι πρότερον καὶ τὰς πλησίον νήσους.* ibid. supr. *Πελασγοὺς κεκακωμένους ὑπὸ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου, κατέχοντας δ' ὅμως ἔτι τὴν Λάρισσαν.* (Ita ex Homeri Il. II, v. 840, seq.) ibid. inf. extr. § 3, *τὸ ἔθνος — ἀθρόαν ἔλαβε τὴν ἔκλειψιν, καὶ μάλιστα κατὰ τὴν τῶν Αἰολέων καὶ τῶν Ἰώνων περαίωσιν εἰς τὴν Ἀσίαν.*

§ 2. Itaque Jones in Asiam immigrantes reliquias quidem Pelasgorum deprehenderunt; gravissimum vero certamen cum *Caribus* et *Lelegibus* iis proponebatur, qui illo tempore totam eam regionem Asiæ minoris, quam prius possederant Pelasgi, occupasse videntur.

Pherecydes quidem auctor est, Cares Miletum et Myuntem et regionem Mycalensem et Ephesum; Leleges totam deinceps oram maritimam usque ad Phocæam, et Samum et Chium insulas tenuisse; utrosque autem ab Jonibus ejectos in reliquas partes Cariæ compulsos esse [55]).

Quanquam sic accurate illos populos distinxit Pherecydes et illo testimonio res confecta esse videri potest, tamen et auctoritas Herodoti et inconstantia Strabonis (inter Herodoti et Homeri auctoritatem vacillantis, opinor), ut rem diligentius exculi necesse esset, effecit [56]).

Herodotus (I, 171) igitur, Cretenses auctores sequens, tradidit, Cares, quum insulas habitarent atque imperio Minois parerent, Leleges appellatos esse et ex insulis in continentem Asiam immigrasse. Neque tamen dissimulat, Cares ipsos illud minime adsentiri, et se incolas continentis indigenas (*αὐτόχθονας ἠπειρώτας*), semperque eodem nomine usos esse quam vehementissime contendere. Strabo autem, qui ea nobis testimonia servavit, ex quibus dubitari nequeat, quin illi populi diversi fuerint, non sibi constat; maxime tamen sententiam eorum, qui eosdem esse putarent, amplexus esse videtur [57]). Præter locum jam

[55]) Pherecyd. apud Strab. XIV, p. 632: *Ταύτης (τῆς Ἰωνίας) φησὶ Φερεκύδης Μίλητον μὲν καὶ Μυοῦντα καὶ τὰ περὶ Μυκάλην καὶ Ἔφεσον Κᾶρας ἔχειν πρότερον· τὴν δ᾽ἑξῆς παραλίαν μέχρι Φωκαίας καὶ Χίου καὶ Σάμου*, (sine dubio legendum est: *καὶ Χίον καὶ Σάμον*, nam Chius et Samus ad oram maritimam referri sane non possunt) *ἧς Ἀγκαῖος ἦρχε, Λέλεγας· ἐκβληθῆναι δ᾽ ἀμφοτέρους ὑπὸ τῶν Ἰώνων καὶ εἰς τὰ λοιπὰ μέρη τῆς Καρίας ἐκπεσεῖν.*

[56]) Cf. quæ de his rebus optime scripsit Hoeckius V. D. Kret. II, p. 6 seqq. et 218 seqq., cui tamen me non plane adsentiri, facile patebit.

[57]) XIV, p. 661 (§ 27): *Πολλῶν δὲ λόγων εἰρημένων περὶ Καρῶν, ὁ μάλισθ᾽ ὁμολογούμενός ἐστιν οὗτος, ὅτι οἱ Κᾶρες ὑπὸ Μίνωος ἐτάττοντο, τότε Λέλεγες καλούμενοι, καὶ τὰς νήσους ᾤκουν· εἶτ᾽ ἠπειρῶται γενόμενοι, πολλὴν τῆς παραλίας καὶ τῆς μεσογαίας κατέσχον, τοὺς προκατέχοντας ἀφελόμενοι· καὶ οὗτοι δ᾽ ἦσαν οἱ πλείους Λέλεγες καὶ Πελασγοί.* cf. id. XII, p. 572 (§ 4): *Τό τε γὰρ τῶν Πελασγῶν ἦν φῦλον καὶ τὸ τῶν Καυκώνων καὶ Λελέγων.* Ita, puto, ex Homeri Il. X. v. 428, seq: *Πρὸς μὲν ἁλὸς Κᾶρες καὶ Παίονες ἀγκυλότοξοι, καὶ Λέλεγες καὶ Καύκωνες, δῖοί τε Πελασγοί.* Quo loco aperte distinguuntur Cares et Leleges. Sed idem Strabo ead. pag. inf. (§ 5): *Καὶ οἱ Κᾶρες δὲ νησιῶται πρότερον ὄντες καὶ Λέλεγες, ὥς φασιν, ἠπειρῶται γεγόνασι, προσλαβόντων Κρητῶν.*

laudatum Pherecydis rem sine dubio expediet locus quidam Strabonis, qui quam maxime probat, Leleges antiquitus sui juris populum fuisse et moribus et iustitutis a Caribus diversos. Is locus est l. VII, p. 321 (§ 2):

Τοὺς δὲ Λέλεγας τινὲς μὲν τοὺς αὐτοὺς Καρσὶν εἰκάζουσιν, οἱ δὲ συνοίκους μόνον καὶ συστρατιώτας. διόπερ ἐν τῇ Μιλησίᾳ Λελέγων κατοικίας λέγεσθαί τινας, πολλαχοῦ δὲ τῆς Καρίας τάφους Λελέγων καὶ ἐρύματα ἔρημα, Λελέγια καλούμενα. Ἥ τε νῦν Ἰωνία λεγομένη πᾶσα ὑπὸ Καρῶν ᾠκεῖτο καὶ Λελέγων. ἐκβαλόντες δὲ τούτους οἱ Ἴωνες αὐτοὶ τὴν χώραν κατέσχον[58]). *ἔτι δὲ πρότερον οἱ τὴν Τροίαν ἑλόντες, ἐξήλασαν τοὺς Λέλεγας ἐκ τῶν περὶ τὴν Ἴδην τόπων τῶν κατὰ Πήδασον καὶ τὸν Σατνιόεντα ποταμόν.*[59])

His testimoniis adducor, ut credam, Leleges Asiaticos ante dominationem Cretensium plurimum valuisse, atque iusulas et regiones, quæ commemoratæ sint, imperio tenuisse, quum Cares regiones fere ceteras Asiæ inferioris, maritimas inprimis habitarent; Leleges autem ab altera parte a Creteusibus insulas et oram maritimam iuvadentibus, ab altera a Græcis Trojam delentibus, vel coartatos vel e sedibus suis ejectos, denique ab Jonibus et Æolibus prorsus exturbatos in Cares concessisse, cumque iis adeo coaluisse, ut præter nomen et vestigia quædam ex historia fere evanuerint. Inde factum esse puto, ut res gestæ Lelegum Caribus magnam partem adscriberentur, et nomen Lelegum pro antiquiore Carum nomine haberetur.[60])

Cares contra foedus æquis condicionibus cum Cretensibus inisse videntur[61]) et hac ipsa societate aucti, Creteusium imperio mox decrescente, summam potentiam consecuti esse[62]). Num Cares ante Minois tempus Chium invaserint et jam tum una cum Lelegibus tenuerint, quæri

---

[58]) Cf. Paus. VII, c. 2-4 ex cujus de singulis urbibus narrationibus perspicuum est, illo quidem tempore nondum Cares et Leleges coaluisse. In universa re Pherecydi fere adsentitur.

[59]) Etiam hoc ex Hom. Iliad. XX, v. 90-96, cf. XXI, v. 86 seq. *Ἄλτεω, ὃς Λελέγεσσι φιλοπτολέμοισιν ἀνάσσει, Πήδασον αἰπήεσσαν ἔχων ἐπὶ Σατνιόεντι.*

[60]) Paus. VII, 2, 4: *Λέλεγες τοῦ Καρικοῦ μοῖρα.* Itaque Thucyd. 1, 4, Cares a Minoe expulsos esse, tradidit.

[61]) Cff. Hoeckii loci ll.

[62]) Cf. Hoeck II, p. 216 seq. Add. Isocratis Panath. p. 269 Bekker.

potest. Jon quidem Chins, præcipuus et fortasse solus auctor antiquissimæ Chii historiæ, Cares Oenopione regnante (ɔ: imperantibus Cretensibus) immigrasse censet (Paus. VII. 4, 6).

Quicquid est, Cares quidem certe Chium (una cum Lelegibus?) Minoe imperante habitarunt; postea ab Jonibus ejecti sunt. Carides, oppidum Chii, a Caribus conditas esse, suspicor[63]).

§ 3. Quanquam imperium quidem Cretensium non diu stetisse videtur, firmiorem tamen sui memoriam, quam illi populi, quos jam commemoravimus, in mythis saltem Chiorum reliquerunt.

Ubique fere in antiquissimis fabulis urbium heroem aliquem urbis conditorem invenimus, cujus genus atque origo et deum præcipuo honore cultum et populum sive indigenam sive adventicium, cujus vis in rebus illius urbis excolendis insignis fuerit, iudicet.

Talis est apud Chios heros *Oenopion*[64]), filius *Bacchi*[65]) et

---

[63]) Cf. quæ p. 9, de Caridibus attulimus. Do Macaro cf. Plehnius V. D. (Lesbiac. p. 31-31), quem puto recte statuisse, Macarei sive Macaris nomine Cares significari; de populo Macarum, quem finxit, dubito; neque prætereundum puto, quanquam equidem illud per se non urgeo, quantitatem syllabæ *Κα*, in utroque nomine diversam esse. — Quod Deucalionis diluvium in illa fabula parum apte commemorari videtur, conjicero fortasse licebit, diluvium mythographi ingenio deberi, Deucalionem autem esse Cretensem, filium Minois; (Hom. Il. XIII, 451) cujus nomen (propter Carum et Cretensium conjunctionem) in ista fabula forsitan occurrerit; ex ejusmodi enim nominibus sæpe sua finxerunt mythographi.

[64]) Vere monuit Coraës (Atact. III, p. 3) nomen ejus e productione nominis *Οἴνοπος*, non a verbis, quæ sunt *οἶνος* et *πίνω*, esse derivandum. Quæ productio in nominibus Chiis frequens est.

[65]) Fuerunt, qui Oenopionem *Thesei* filium facerent. Cujus rei memoriam servavit Plutarchus (Thes. c. XX), qui hunc versum Jonis Chii, de patria sua loquentis, affert:

Τήν ποτε Θησείδης ἔκτισεν Οἰνοπίων.

Hæc ita inter se conciliare studuisse Naxios quosdam, ut perhiberent, duos fuisse Minoes, duas Ariadnas, quarum altera Baccho, altera Theseo nupta esset! At critici quidam (Schol. Apollon. Rhod. III, 997, ed. Wellauerus II, p. 142) negant, quicquam Theseo cum Ariadne fuisse, desertamque eam a Theseo in Naxo esse, versusque Homeri (Odys. XI, 321 seqq.) sententiæ suæ prætendunt hos: *Καλήν Ἀριάδνην*

Κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς
Γήμας οὐδ᾽ ἀπόνητο.

(Aliter editiones nostræ: *Θησεὺς ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηνάων ἱεράων, ἦγε μὲν οὐδ᾽ ἀπόνητο, πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυ-*

Ariadnes, Minois *Cretensis* filiæ.[66]) Is Chium insulam occupasse[67]) et a patre eruditus incolas vites colere docuisse fertur[68]); cujus sepulchrum in ipsa insula exstabat et memoriam rerum ab illo gestarum servabat.[69])

Ætas Oenopionis, si quidem homo est, ad Trojana tempora refertur[70]); sed ut verus heros, nullis temporum finibus coercitus, antiquissimis Chiorum rebus gestis præsens omnibus interest.

§ 4. Cum Oenopionis fabula in mythis Chiorum conjuncta est *fabula Orionis*. Hesiodus[71]) auctor est, Orionem filium *Neptuni*[72]) et *Euryales*, Minois filiæ, quum a patre ei datum esset, ut per mare iret, Chium pervenisse et Meropen[73]), Oenopionis filiam inebriatum compres-

---

ῥίῃσιν). Ni fallor, ista finxit Jon sive quis alius Atheniensibus placendi studio ductus.

[66]) Schol. Apoll. Rhod. III, v. 997 auctor est, Dionyso ex Ariadne filios fuisse Oenopionem, Thoantem, Staphylum, Latramyn, Euanthea, Tauropolin. Cf. Apollon. Rhod. IV, 425. Diodorus Sic. (V, 79) auctor est, Thoanti a Rhadamantho, ut Oenopioni Chium, ita Lemnum traditam fuisse. Itaque apud Statium (Thebaid. V. 486) Hypsipyle dicit:

"Fama subit portus, vetitam trans alta Thoantem
Fraterna regnare Chio, mihi crimina nulla."

[67]) Jon Chius (apud Paus. VII, 4, 6), Oenopionem cum filiis Talo, Euanthe, Melane, Salago, Athamante a Creta Chium advectum esse, simpliciter narrat. Cf. Hoeck. Kret. II, p. 219 seq. et p. 230 seqq. — Itaque Chius appellatur a Critia poeta: "Ἐναλος πόλις Οἰνοπίωνος (Athen. I, p. 28, B, qui addit, ὃς καὶ συνῴκισε τὴν νῆσον).

[68]) Athen. I, p. 26, B. Diod. Sic. V, 79.

[69]) Pausan. VII, 5, 6.

[70]) Itaque Palamedem ad Oenopionem, quem ad societatem belli contra Troianos traheret, missum esse, fingit Alcidamas (orat. Ulyssis in Pal. ed. Reiske VIII, p. 73). *Nepotes* Minois huic bello intersunt. Vid. Hom. Il. XIII, 451.

[71]) Apud Eratosth. Cataster. XXXII. Eandem fabulam paucis mutatis habeat Apollodorus, Bibl. 1, 4, 3; mutilatus ille quidem locus est et ex Eratosthenis l. l. restituendus (cf. Heynii. Observ. ad Apollod. l. l. II, p. 22, seqq.) Parthenius (Erotic. XX, περὶ Αἱροῦς); Aratus (Phænom. v. 634 seqq.); Theon doctissimus Arateorum versuum interpres. cf. Eratosth. Catast. VII, Schol. Nicandri theriac. v. 15, Hygin. Astron. II, 34.

[72]) Filium *Hyriei*, Parthenius; cf. C. O. Müller Orchom. p. 99. Theon (ad v. 635 Arat. Phæn.) eum e Boeotia venisse dicit, quod eodem redit.

[73]) Aëropen eam vocant Hyginus et Scholiasta Nicandri, quod corrigendum censuit Heynius (l. l.).

Hæro eam appellavit Parthenius, et matrem ei tribuit *Helicen* nympham, cujus nomen in memoriam revocat Helicen urbem Joniæ Peloponnesiacæ; quod nomen Jonibus deberi, suspicor.

sisse[74]); qua re cognita, ab Oenopione oculis privatum ejectum esse, tum circumvagantem in Lemno Vulcanum convenisse; ducem quum Vulcanus ei dedisset, ad Solem ivisse, a quo sanatum, Oenopionis ulciscendi causa revertisse; sed, quum cives Oenopionem sub terra occuluissent[75]), spe ejus reperiendi dejectum, in Cretam abisse, ibique una cum Diana et Latona venatum esse; denique quum minatus esset, se nullam feram non necaturum, Tellurem dolore percitam magnum scorpium emisisse, a quo eum interfectum esse.

Vulgatior tamen est fama et notior, Orionem Dianæ amore captum, cum ei vim inferre conaretur, vel a Diana ipsa vel scorpio immisso in ipsa Chio interfectum esse.[76])

Orion heros est complurium Boeoticarum et Euboicarum urbium communis; in hac fabula Chia, *alienæ* originis cum esse, non obscure

---

[74]) Parthenius honestius narrat, Orionem, filium Hyriei, cum Oenopionis filiam in matrimonium petivisset, ob eam causam insulam, tum feris impletam, (cf. Theon ad v. 635) pacasse; sed magna præda a viciuis acta quum munera nuptialia præbuisset, tandem ab Oenopione, (qui, quum talem generum detestaretur, nuptias semper distulisset,) vino efferatum in cubiculum filiæ ductum, violenter oculis privatum esse.

[75]) Accuratius Apollodorus (l. l.): *Ἀλλὰ τῷ μὲν* [pro *Ποσειδῶνι*, quod aperte corruptum est, [*οἱ*] *πολῖται* censeo legendum, et omnis difficultas sublata erit] *Ἡφαιστότευκτον ὑπὸ γῆν κατεσκεύασαν οἶκον*. Nimirum, hoc est sepulcrum illud Oenopionis, de quo Paus. VII, 5, 6: *Χίοις δὲ ὁ τοῦ Οἰνοπίωνος τάφος θέαν τε παρέχεται καὶ τινας λόγους ἐς τοῦ Οἰνοπίωνος τὰ ἔργα.*

[76]) Notissimum est illud Horatii Od. III, 4, 70 seqq.: "Notus et integræ tentator Orion Dianæ, virginea domitus sagitta". Rem sic exposuit Aratus (l.l.):

Ἄρτεμις ἱλήκοι· προτέρων λόγος, οἵ μιν ἔφαντο
Ἑλκῆσαι πέπλοιο, Χίῳ ὅτε θηρία πάντα
Κάρτερος Ὠρίων στιβαρῇ ἐπέκοπτε κορύνῃ,
Θήρης ἀρνύμενος, κείνῳ (κλεινῷ) χάριν Οἰνοπίωνι.
Ἡ δέ οἱ ἐξ αὐτῆς ἐπετείνατο (f. leg. *ἐπεγείνατο*) *θηρίον ἄλλο*
Νήσου, ἀναῤῥήξασα μέσας ἑκάτερθε κολώνας,
Σκόρπιον, ὅς ῥά μιν οὖτα καὶ ἔκτανε πολλὸν ἐόντα
Πλειότερος προφανεῖς, ἐπεὶ Ἄρτεμιν ἤκαχεν αὐτήν.

Cf. Palæphat. de incred. V. Fortasse inde nata est fabula de serpente illa magna, quam servavit Ælianus (H. A. XVI, 39). cf. annot. 46. Alii contendebant, Orionem in Delo a Diana interfectum esse, aut quod Dianam provocasset, aut quod Opin unam ex Hyperboreis virginibus compressisset. (Apollodor. l. l.). Cf. C. O. Müller (Die Dorier I, p. 267 et 369) qui docet, nomina Argen, Opia s. Upin, Hecaergen, Loxo esse cognomina deæ epithota, quæ vocamus. Itaque res eodem redit.

patet [77]). Itaque in insulam immigrasse, utque connubio cum heroe insulæ Oenopione conjungeretur, operam dedisse fingitur. Quanquam conjungendi illud studium, quod in mythis sæpissime deprehendimus, discrimen illud prius abolere jam studuit, ut Oenopionem, sic Orionem nepotem Minois faciens; quin etiam, si Hygino (Astron. II, 34) credimus, Pindarus Orionem in ipsa Chio natum esse tradidit. [78])

Ex his rebus apparere puto, populum, cujus heros Orion esset, fabulosis temporibus in Chium insulam immigrasse et principio quidem societatis vinculo cum Chiis conjunctum fuisse; deinde, quum inter utrosque dissensio orta esset et pugna, illos ab his ejectos fuisse, et hanc fuisse causam hujusce de Oenopionis atque Orionis et conjunctione et simultate fabulæ.

Illum populum *Abantes* fuisse suspicor. Quanquam enim genus Abantium obscurissimum est, neque exstat certus locus cujusquam scriptoris, qui dilucidis verbis confirmet, Abantes Orionis fabulam attulisse, summa tamen est inter Abantium et Orionis in Chio res gestas consensio, et adsunt vestigia quædam, quæ conjunctionem aliquam inter Abantes et Orionem intercedere potuisse indicent, ut hanc meam conjecturam si non plane demonstrent, at certe excusent.

Quæ ut ostendam, necesse est varias de Abantibus narrationes conquirere et excutere.

§ 5. Homerus auctor est, (Il. II, v. 536 seqq.) Abantes incolas fuisse Euboeæ, quorum urbes recenset Chalcidem, Eretriam, Histiæam, Cerinthum, Dium, Carystum, Styra. Cum ceteris Græcis expeditioni contra Trojam duce Elephenore, Chalcodontis filio, cum quadraginta navibus intersunt, tonsu singulari distincti. [79]) Alacritate et ferocia

---

[77]) Cf. quæ scripsit Heyne ad Apollodori l. l. et Müller Orchom. p. 99 seqq.

[78]) Müller Orch. p. 100 n. 3 hac conjunctione non animadversa aliter de hac re judicavit: "Eratosth. Katast. 32. Darans Hygin. Astron. II, 34 und Sch. Nicand. Theriak. v. 15. Beide haben aus ihrer Quelle auch den alten Fehler *Μίνωος* für *Μινίου*, eine öfter vorkommende Verwechselung, abgeschrieben." Vereor, ne inconsideratius ista scripserit vir ingeniosissimus et doctissimus.

[79]) *Ὄπιθεν κομόωντες*, id quod singulare dicitur fuisse tonsus Euboici vel Thracii (utrumque eodem redit); Eustath. ad Il. II v. 540, ed. Rom. p. 278, 28 et ad Dionys. perieg. v. 520.

insignes hastis rem cominus gerebant. [80]) — Jam vero si quæritur, quo genere Abantes fuerint, unde in Euboeam venerint, tanta est inter auctores dissensio, quanta maxima esse potest, ut satis appareat, sua quemque conjectura assecutum esse.

Indigenas Euboenses eos habuisse videtur mythus [81]) quidam, Abantem filium faciens Neptuni et Arethusæ, qui est fons Euboeæ [82]). Sed hunc ipsum Abantem filium Neptuni alii Argivum faciunt, propter nomen puto, quod inter antiquos reges Argivos occurrit; quem Abantem scholiasta Pindari (Pyth. VIII, 73) primum Argis habitasse, deinde in Euboeam immigrasse tradit. [83])

Aristotelem si sequimur auctorem, Abantes genere erant *Thracio* atque ex Abis Phocidis in Euboeam migraverant. [84]) Jam vero Pausanias (X, 35) auctor est, Abarum incolas ipsos perhibere, se Argis in Phocidem venisse, et a conditore urbis Abante, Lyncei et Hypermnestræ filio, nomen traxisse urbem. Sic eodem revolvimur.

Neque vero defuerunt, qui Abantis genus ad Athenienses referre studerent. Eustathius quidem (ad Il. II, 542) hanc seriem nominum [85]) nobis servavit:

---

[80]) Monet Eustath. ad v. 543, p. 282, 11, turpe illis fuisse hastas emittere, id quod in Homeri versibus inesse vidit:

Αἰχμηταὶ μεμαῶτες ὀρεκτῇσι μελίῃσιν
θώρηκας ῥήξειν δηΐων ἀμφὶ στήθεσσιν.

Cf. Strab. X, p. 448 inf. (§ 13).

[81]) Apud Steph. Byz. s. v. *Ἄβαντις*; Eustath. ad Il. II, v. 512, p. 281, 29, qui e Porphyrio quodam hoc stemma attulit: Neptunus ex Alcyone liberos suscepit Hyperen et Arethusam; cujus et Neptuni filius est Abas, pater Chalcodontis, patris Elephenoris.

[82]) Eustath. ad Il. II, v. 512; et quidem ad Chalcidem, Strab. X, p. 449 (§ 13 extr.).

[83]) Cf. Eustath. ad Dionys. perieg. v. 520, ad Il. II, v. 512, Steph. Byz. s. v. *Ἄβαντις*. Quid? quod Hyginus, (fab. XCVII, p. 181 ed. v. Staveren) Elephenorem, Chalcodontis et Imenaretis filium, *Argis* navibus XXX profectum esse tradit. Conjunctionem certe aliquam, sed rem convertentem indicat nomen collis cujusdam Argivæ regionis, *Euboea*. Strab. X, p. 449 § 15.

[84]) Strab. X, p. 445, § 3, inde Eustath. ad Il. II, v. 542. Sine dubio intelligendi sunt veteres illi Thraces Boeotiæ. Cf. quos laudavit Hermann V. D. Lehrbuch der griech. Staatsalterth. § 15, n. 19.

[85]) De hac tabula generis vid. Raoul-Rochette (histoire critique de l'établ. des colon. grècques, II, p. 102).

Pandion.

Erechtheus.

Cecrops; Arneus; Pandorus, rex Euboeæ; *Metion.*

Peteus. — *Alcon.* — *Dias,* conditor Dii urbis.

Menestheus. — *Abas.*

Chalcodon.

Elephenor.

Apud Stephanum Byzantium (s. v. *Ἀθῆναι*) Abas pater est Alconis, Diantis, Arethusæ; tum adduntur hæc: "*ὧν ὁ μὲν Δίας κτίσας πόλιν (Ἀθήνας Διάδας) οὕτως ἀπὸ τῆς πατρίδος ὠνόμασεν.*" Sed nemiuem bujus rei auctorem laudavit Stephanus, neque ipse satis locuples testis est.

Hanc tamen sententiam amplexus est Raoul-Rochette (l. l.) et argumentis sane levibus firmare conatus est; sed nihil agit. Obstat gravissima Herodoti auctoritas, nihil eum Jonibus commune fuisse Abantibus, affirmantis (I, 146), et ipsa descriptio Homeri et quod una cum Caribus ab Jonibus depelluntur (Paus. VII, 4, 6), argumenti satis est, Abantes cum ab Jonibus, tum ab Atheniensibus diversos fuisse.

Mihi quidem maxime placet sententia Aristotelis, Abantes generis fuisse Thracii (Boeotii). Verisimile est enim, Euboeam, ad Euripum Boeotiæ pæne adhærentem, e Boeotia quoque antiquissimos cultores nactam esse. Antiquissimis autem Boeotiæ incolis, et Cadmæonibus et Thracibus et Minyis cultus Orionis domesticus fuit. Cujus in Euboea cultus non obscura sunt vestigia. Diodorus quidem Siculus (IV, 85) tradidit, Orionem e Sicilia in Euboeam profectum ibi habitasse. (Debebat sane dicere, Orionem ex Euboea in Siciliam profectum, inde in Euboeam revertisse. Est hæc solita conversio fabulæ). Quod tradit Strabo (X, p. 446, § 4): *δοκεῖ δὲ καὶ ὁ Ὠρίων, ἐνταῦθα [ἐν Ὠρεῷ] τραφεὶς οὕτως ὀνομασθῆναι*, nihil est aliud, nisi conjectura prava. Quam sine dubio corrigere voluit Eustathius (ad Il. II v. 537), sed non plane ausus est. (Dicit autem, verisimile sibi videri Orionem ibi nutritum esse, et urbi ab eo nomen impositum esse, vel ipsi ab urbe).

Maxime vero notabilis est fama, quam servavit Eustathius (l. l.), *Histiæam veterem fuisse heroinam, filiam Hyriei*, e cujus nomine urbs

appellata esset. Jam quum Orion frater sit Histiææ, dubitare vix possumus, quin cultus Orionis antiquissimis Histiææ conditoribus domesticus fuerit.

Sive igitur credimus, Abontes antiquissimos fuisse Euboeæ incolas (antiquiores certe novimus nullos), sive antiquioribus successisse, verisimile est, Orionis cultum proprium illorum fuisse.

Vulgo tradunt, Abantes cum Jonibus et Codri filiis in Asiam minorem pervenisse. Ita Pausanias quidem disertis verbis.[86]) Sed ne hæc quidem res omni dubitotione caret. Nam apud eundem Pausaniam (VII, 4, 6) Jon Chius narrat, Abantes Oenopione regnante Chium venisse et ab Hectore rege Chiorum, antequam cum Jonibus societas iniretur, expulsos esse. Neque Herodotus, gravissimus auctor, tradidit, Abantes cum Jonibus in Asiom minorem pervenisse, sed incolarum illius regionis magnam partem fuisse.[87]) Quæ quum ita sint, non veri dissimile mihi videtur, Abantes aut e bello Trojano redeuntes continuo Chium insulam invasisse; (certe quidem videmus, Abantes quosdam e bello Trojano redeuntes in Thesprotidem Epiri delatos esse. Paus. V, 22, 3; cf. Strab. X, p. 449 § 15; quorum utrumque de eadem re loqui puto) aut post reditum ob Jonibus, qui illis fere temporibus Euboeam occupasse videntur[88]), ejectos Chium novam sedem rerum suarum quæsivisse.

§ 6. Neque vero satis explicota est memoria migrationis Jonum in Asiam et antiquissimæ conjunctionis. Ne Herodotus quidem, his rebus et tempore et loco proximus, nisi leviter eas attingit; ceteri

---

[86]) Paus. VII, 2, 2: *Ἴωσι δὲ τοῦ στόλου — μετέσχον καὶ Φωκεῖς οἱ ἄλλοι πλὴν Δελφῶν καὶ Ἄβαντες ἐξ Εὐβοίας.* Idem Strabo XIV, p. 633 (§ 3 extr.) significare videtur: *Χίον δὲ Ἐγέρτιος (ἔκτισε) σύμμικτον ἐπαγόμενος πλῆθος.*

[87]) Her. I, 146: *Τῶν (τούτων Ἰώνων) Ἄβαντες μὲν ἐξ Εὐβοίης εἰσὶ οὐκ ἐλαχίστη μοῖρα, τοῖσι Ἰωνίης μέτα οὐδὲ τοῦ οὐνόματος ουδέν.*

[88]) Cf. Hermann Lehrb. der gr. Staatsalt. § 77: "Ob die Niederlassungen des Kothus und Aeklus in Chalcis uod Eretria auf Euböa mit diesem Zuge zusammenhingeo, ist nicht eotschieden; ja diese Städte siod, da sie schon vor dem trojanischen Kriege von den Athenern aogelegt seio sollen, vielleicht eher unter die Stammsitze der Jonier zu zählen (cf. quæ laudat Herm. not. 4). Quod quo minus concedamus, impedit auctoritas Homeri, cujus testimonium certum (Il. II, 536 seqq.) incerto Strabonis rumori sine dubio præferendum est.

quique, quanto longius ab his rebus absunt, tanto plus sibi scire videntur.

Difficile sane est quicquam de rebus tam antiquis aut affirmare aut negare, de quibus per plura sæcula nihil fere traditum sit, unde aliquid conjectura assequi possemus. Ad meam rem satis est tenere, *Jones* maximam partem hujus migrationis effecisse (cf. imprimis Paus. VII, 2, 1). Quænam Atheniensium partes in hac re fuerint, non aperta significatio est. Nam ut initio Atheniensium ductu et auspiciis eo pervenerint Jones et qui una illius commigrationis participes fuisse dicuntur, iis certe temporibus, quorum res historiæ fide traditæ sunt, non sunt Jones Asiæ magis, quam ceteri Jones Atheniensium coloni; quod tenendum puto. (Thucydides quidem (I, 95) tradit, quum ceteri Græci et in primis Jones imperium maritimum Atheniensibus demandarent, illos propter cognationem, non quod coloni essent Atheniensium, id fecisse.)

Neque vero credo, recte statui posse, Jones postquam in Asiam venerint, statim societatem aliquam iniisse. Repugnat et rerum natura et quæ Pausanias (VII, 2 seqq.) de antiquissimis rebus harum civitatum tradidit. Quamvis confusa sit narratio Jonis Chii (Paus. VII, 4, 6), ex ea tamen patere videtur, Jonem statuisse, Chios aliquanto demum temporis spatio post universam Jonum immigrationem præterlapso Jonicæ conjunctionis participes factos esse. Nam mihi quidem veri simillimum esse videtur, apud Jonem Amphieli ex Histiæa Euboica in Chium adventu significari Jonicam Chii occupationem. Histiæa enim mature ab Jonibus occupata esse videtur; deinde Amphielus, ut ceteri Jones, ex oraculo Delphico advenisse dicitur; neque vero quicquam prohibet, quominus statuamus, eundem esse hunc Amphielum et eum, cujus mentionem faciat Hippias Erythræus (Athen. VI, p. 258, F); is autem æqualis est Cnopi, *Jonici Erythrarum conditoris.* [89])

Quarta denique ætate post Amphielum Hector, rex Chiorum, Caribus et Abantibus expulsis, Panionii sacrificii particeps factus esse

---

[89]) Aliter Strabo quidem XIV, p. 633 (§ 3 extr.): *Χίου δὲ Ἐγέρτιος, σύμμικτον ἐπαγόμενος πλῆθος.* Sed in talibus nominibus non hærendum esse puto, quæ sæpissime variari videmus.

dicitur et a communi consilio Jonum tripodem præmium virtutis adeptus esse [90]).

§ 7. Maxima est quæstio, cujus generis illa conjunctio fuerit Jonum, quæ quæstio, quantum in me erit, ne in obscuro relinquatur, operam dabo.

Erant *Panionia* (hoc enim nomine continetur memoria illius conjunctionis) conventus festus (*πανήγυρις*) Neptuno Heliconio [91]) consecratus, cui sacra et ludi celebrabantur, non ab omnibus quidem Jonibus, sed ab iis solis, quorum erat Panionium. Nullum autem vestigium est fœderis inter has civitates, præcipuo Jonum nomine insignes, ad commune periculum defendendum, nedum ad communem rerum administrationem initi, quorum quidem temporum memoria monumentis litterarum tradita est.

Videamus locos eorum scriptorum, quorum quidem est in his rebus aliqua auctoritas; (nam Vitruvio (IV, 1) in rebus non ignotis turpissime erranti nulla fides in obscurioribus habenda est.)

Herodotei loci gravissimi hi sunt:

l. I, c. 143: *Αἱ δὲ δυώδεκα πόλιες αὗται — ἱρὸν ἱδρύσαντο ἐπὶ σφέων αὐτῶν, τῷ οὔνομα ἔθεντο Πανιώνιον· ἐβουλεύσαντο δὲ αὐτοῦ μεταδοῦναι μηδαμοῖσι ἄλλοισι Ἰώνων· οὐδ' ἐδεηθήσαν δὲ οὐδαμοὶ μετασχεῖν ὅτι μὴ Σμυρναῖοι.* Alter est locus l. I, c. 148: *Τὸ δὲ Πανιώνιόν ἐστι τῆς Μυκάλης χῶρος ἱρὸς πρὸς ἄρκτον τετραμμένος, κοινῇ ἐξαραιρημένος ὑπὸ Ἰώνων Ποσειδέωνι Ἑλικωνίῳ. Ἡ δὲ Μυκάλη ἐστὶ τῆς ἠπείρου ἄκρη πρὸς ζέφυρον ἄνεμον*

---

[90]) Paus. l. l. *Ἕκτωρ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀμφίκλου τετάρτῃ γενεᾷ (βασιλείαν γὰρ ἔσχε καὶ οὗτος) ἐπολέμησεν Ἀβάντων καὶ Καρῶν τοῖς οἰκοῦσιν ἐν τῇ νήσῳ· καὶ τοὺς μὲν ἀπέκτεινεν ἐν ταῖς μάχαις, τοὺς δὲ ἀπελθεῖν ἠνάγκασεν ὑποσπόνδους. Γενομένης δὲ ἀπαλλαγῆς πολέμου Χίοις, ἀφικέσθαι μνήμην τηνικαῦτα ἐς Ἕκτορα, ὡς σφᾶς καὶ Ἴωσι δέοι συνθύειν ἐς Πανιώνιον. Τρίποδα δὲ ἆθλον λαβεῖν αὐτὸν ἐπὶ ἀνδραγαθίᾳ παρὰ τοῦ κοινοῦ [φασι?] τοῦ Ἰώνων. Τοσαῦτα εἰρηκότα ἐς Χίους Ἴωνα εὕρισκον· οὐ μέντοι ἐκεῖνός γε εἴρηκε, καθ' ἥντινα αἰτίαν Χῖοι τελοῦσιν ἐς Ἴωνας.* Non apertis ille quidem verbis, sed ut jam monui, Jonicam Chii occupationem adventu Amphicli significasse videtur.

[91]) Posthac etiam alii dii Panionii coli coepti sunt, ut Apollo Panionius (Pococke insc. Gr. p. 52). Errant tamen Hesychius et Vitruvius, quum alter (s. v. *Πανιώνιον*) Apollinis sacrum fuisse, alter (IV, 1, 4) Jones Apollini Panionio primo ædem, (uti vidissent in Achaia!) constituisse tradit.

κατήκουσα Σάμῳ, ἐς τὴν συλλεγόμενοι ἀπὸ τῶν πολίων Ἴωνες ἄγεσκον ὁρτὴν, τῇ ἔθεντο οὔνομα Πανιώνια.

Quid? quod Jon Chius (l. l.), Hectorem regem Chiorum præmium certaminis tripodem a communi Jonum consilio adeptum esse tradit. An dubitare possumus, quin ludi (quorum præmia tripodes essent) illo conventu olim certe facti sint? quemadmodum Herodotus (I, 144), in certaminibus Dorum, Triopio Apollini sacris, tripodes æneos victoribus olim propositos esse, memoriæ prodidit.

Neque prætermittendus est locus quidam Maximi Tyrii, qui optime ostendit, illum conventum a mulieribus etiam et pueris celebratum, neque a ceteris Græcorum conventibus festis diversum fuisse; is locus est diss. XXVII, 2:

Ἐν τῇ τῶν Ἰώνων ἀγορᾷ[92]) *ἐν Πανιωνίῳ ἐκόμιζε τιτθὴ βρέφος· ὁ δὲ Ἀνακρέων βαδίζων, μεθύων [ᾄδων] ἐστεφανωμένος, σφαλλόμενος ὤθεῖ τὴν τιτθὴν σὺν τῷ βρέφει κ. τ. λ.*

Neque dissentit Strabo et suo tempore eundem conventum eidem deo eodem loco factum esse docet. — VIII, p. 384 (§ 2) — *τὸ ἱερὸν τοῦ Ἑλικωνίου Ποσειδῶνος, ὃ καὶ νῦν ἔτι τιμῶσιν Ἴωνες καὶ θύουσι ἐκεῖ τὰ Πανιώνια.*[93]) — *τῆς Πανιωνικῆς θυσίας, ἣν ἐν τῇ Πριηνέων χώρᾳ συντελοῦσιν Ἴωνες τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι. Ἐπεὶ καὶ αὐτοὶ οἱ Πριηνεῖς ἐξ Ἑλίκης εἶναι λέγονται, καὶ δὴ πρὸς τὴν θυσίαν ταύτην βασιλέα καθιστᾶσιν ἄνδρα νέον Πριηνέα τὸν τῶν ἱερῶν ἐπιμελησόμενον.* Alter locus est l. XIV, p. 639 (§ 20): *Πρῶτον δ' ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ τὸ Πανιώνιον, τρισὶ σταδίοις ὑπερκείμενον τῆς θαλάττης, ὅπου τὰ Πανιώνια, κοινὴ πανήγυρις τῶν Ἰώνων, συντελεῖται τῷ Ἑλικωνίῳ Ποσειδῶνι καὶ θυσία· ἱερῶνται δὲ Πριηνεῖς.*

Denique afferendus est locus Diodori (XV, 49), non quod ejus aucto-

---

[92]) Similiter conventum Olympiacum scriptores Romani *mercatum* dixerunt, Cicero (Tusc. V, 3, 9), Vellejus Paterculus (I, 8), Justinus (XIII, 5).

[93]) Tittmannus (Darstellung der gr. Staatsverfassungen p. 668, not. 3) sine justa causa hunc locum suspectum facere conatus est: Der Text scheint nicht unverstümmelt zu sein; die Rede muss von den Panionien in Asien (nicht von Achaia) sein, et q. s. Negligentia quadam orationis usus est Strabo. Pronom. *ὃ* non ad templum Neptuni Heliconii *Achaicum*, quod nullum tum erat, referendum est, sed, id quod verba sequentia clare demonstrant, templum Neptuni Hel. *Jonicum* significat; ut Straboni *οἷον* scribendum fuerit. *Ἐκεῖ* igitur ad *τὸ ἱερὸν* referendum est.

ritatem his præsertim in rebus magni faciam, sed quia in gravissimum errorem viros doctos induxisse videtur. Verba ejus hæc sunt: *Κατὰ τὴν Ἰωνίαν ἐννέα* (sic) *πόλεις εἰώθεισαν κοινὴν ποιεῖσθαι σύνοδον, τὴν τῶν Πανιωνίων καὶ θυσίας συνθύειν ἀρχαίας καὶ μεγάλας Ποσειδῶνι περὶ τὴν ὀνομαζομένην Μυκάλην ἐν ἐρήμῳ τόπῳ· ὕστερον* (?) *δὲ πολέμων γενομένων περὶ τούτους τοὺς τόπους, οὐ δυνάμενοι ποιεῖν τὰ Πανιώνια, μετέθεσαν τὴν πανήγυριν εἰς ἀσφαλῆ τόπον, ὃς ἦν πλησίον τῆς Ἐφέσου.* In re universa Diodorum superioribus testimoniis assentiri, vix opus est monere. Sed quod dicit, locum postea (*ὕστερον*) mutatum esse, non patet, de quibus temporibus loquatur Diodorus; neque quam diu manserit illa mutatio loci: si quidem unquam facta est. Equidem credo, Diodorum errasse, qui quum legisset, et ad Mycalen fuisse Panionium et in ora maritima (*παραλίᾳ*) Ephesiorum (quod dicit Strabo l. XIV, p. 639), de diversis locis sermonem esse sibi persvaserit. Sed oram ad Mycalen ipsam hoc ipso nomine appellatam esse, docet idem Strabo (l. l.): *Μετὰ δὲ τὸν Σάμιον πορθμὸν, τὸν πρὸς Μυκάλῃ, πλέουσιν εἰς Ἔφεσον ἐν δεξιᾷ ἐστιν ἡ Ἐφεσίων παραλία. κ. τ. λ.*

Sed quicquid est, Panionia facta esse Ephesia, Diodorus quidem non tradidit. Hujus rei inventio et dispositio, ut rhetorum nominibus utar, acuminibus recentiorum virorum doctorum debetur.

Tittmannus quidem (l. l. p. 668) de hac re ita loquitur: Festliche Zusammenkünfte (*πανηγύρεις*) mit religiöser Feier, Markt- und Wettspiel im Pferderennen, in Gymnastik und Musik hatten die Jonier früher im Panionium, welches von der Gesammtheit der Jonier dem Zeus (!) Heliconius geweiht worden war zur Feier dieses Gottes, später jährlich zu Ephesus zur Feier der Artemis.

Videamus jam, quos auctores laudat T. (n. 4) illius sententiæ, Diodorum Siculum (XV, 49), quem de solis Panioniis loqui supra vidimus; Dionysium Halicarn. (IV, 25), qui de solis Ephesiis; Strabonem XIV, 1, § 20, p. 640 Cas. qui dilucidis verbis ostendit, Panionia et Ephesia diversa esse, et utramque *πανήγυριν* suo tempore diversis et locis et diis factam esse! Conferre jubet Thucydidem (III, 104), qui de solis Ephesiis loquitur, et Livium (I, 45) qui fanum Ephesiæ Dianæ a civitatibus Asiæ communiter factum esse narrat!

In eodem fere errore versatur Sete-Croix: des gouvernemens fédératifs p. 148; meliora ipse præceperat altero libro: de l'état et du

sort des col. des anciens peuples p. 221. Secutus est, quod miror, C. F. Hermann Lehrb. d. gr. Staatsalterth. § 77 n. 18.

Etiam in eo Panionia et Ephesia diversa fuerunt, quod Panionia initio quidem XII tantum civitatum Joniearum, Ephesia omnium Jonum fuisse videntur.

Quorum quidem temporum memoria servata est antiqnorum, iis nullum foedus ad commune periculum defendendum fuisse, perspicuum est. Mermnades Lydii singulas deinceps civitates illas adorti subigunt, neque tamen est ulla mentio foederis rupti aut violati (Her. I, 14 seqq.).

Milesios ab iisdem bello lacessitos Chii soli sublevant, non propter foedus aliquod, sed quod Milesii sibi in bello Erythræo opem tulissent (Her. I, 18).

Croeso victo, quum Jones et una Æoles legatos Sardis ad Cyrum frustra misissent, Jones ad Panionium omnes præter Milesios (qui soli cum Cyro iisdem condicionibus, quibus eum Croeso foedus fecisse dicuntur) convenerunt et communi consilio legatos Spartam, qni opem expeterent, mittendos censuerunt (Her. I, 141). Videtur hic quidem vestigium aliquod foederis esse; at cujusnam foederis, in quo liceat singulis cum hoste pacem facere! Ne insulani quidem, Chii et Samii, hujus foederis (hanc Joniearum civitatum quarundam conjunctionem, quam qnidem novimus primam, dico) participes fuisse videntur. [94]) Et clamat silentium Herodoti, nihil de foedere aliquo loquentis, quum hac ipsa re monitus de Panionio et Panioniis disputet.

Sed nullum illo tempore foedus fuisse, jam notissimum illud Thaletis consilium demonstrat. [95]) Is enim jussit: *ἐν βουλευτήριον Ἴωνας ἐκτῆσθαι, τὸ δὲ εἶναι ἐν Τέῳ. Τέων γὰρ μέσον εἶναι Ἰωνίης, τὰς δὲ ἄλλας πόλιας οἰκεομένας μηδὲν ἧσσον νομίζεσθαι, κατάπερ εἰ δῆμοι εἶεν* (Her. I, 170).

Tittmannus quidem (l. l. p. 669) hæc verba aliter explicare studuit: Wenn zur Zeit des persischen Krieges Thales vorschlug, einen gemeinschaftlichen Rath (*βουλευτήριον*, quo verbo equidem *curiam*

---

[94]) Cf. Her. I, 143, 160, 169. Inde natum puto errorem Diodori (l. l.), *novem* civitates Panioniorum participes fingentis.

[95]) Quod jam monuit Wachsmuth Hellenische Alterthumskunde I, 1, p. 114; qui eadem pagina negligenter et temerarie e suo ingenio addidit: *Als sein (Thales) Rath nicht Eingang fand*, schloss Milet — et quæ sequuntur.

significari puto) zu Teos einzurichten, so war nicht ein Bund gemeint, als ob es einen solchen bis dahin nicht gegeben hätte, sondern ein eigentliches Staatsverhältniss, wie mann auch aus dem Zusatze sieht, dass die einzelnen Städte als *Demen* betrachtet werden sollten. Sed quo minus voc. *δῆμοι* hoc loco isto modo interpretemur, verba *μηδὲν ἧσσον* prohibent; quorum nullus erit sensus, ista interpretatione admissa.

Dum a Cyro subacti Jones imperio Persarum parerent, per se ne verisimile quidem est, ejusmodi foedus esse potuisse. Nec quicquam traditur, quod in contrariam partem interpretari liceat. [96])

Exorta contra Darium Hystaspis seditione Jonum (bello Jonico), primum commemoratur τὸ *κοινὸν τῶν Ἰώνων*, quod summam habeat imperii classis Jonicæ (Her. V, 109). Quali consilio publico nullus erat locus, tyrannis, qui a Persis constituti erant, imperium tenentibus; apparet igitur, tale consilium expulsis demum tyrannis inter hoc bellum institutum et formatum esse. Jam vero nunc demum commemorantur etiam consiliarii quidam (*πρόβουλοι*, députés) a singulis civitatibus de re communi consultatum ad Panionium missi.

Subacta iterum Jonia, Artaphernes Sardium satrapes, legatis singularum civitatum arcessitis res Joniæ ordinat. Quid? quod Artaphernes illas civitates coegisse dicitur pacta inter se facere, ut injurias suas ne ipsi persequerentur, neve alteri ab alteris prædas agerent! [97])

---

[96]) Lehnertius quidem, qui de foedere Jonico libellum conscripsit, p. 49 contendit, quum Herodotus (I, 170) dixerit: *κεκακωμένων δὲ Ἰώνων καὶ συλλεγομένων οὐδὲν ἧσσον ἐς τὸ Πανιώνιον*, propter verba *οὐδὲν ἧσσον*, apparere, Herodotum sensisse, Jones nihilominus in Panionio de rebus suis consultasse! Quæ si fuisset Herodoti sententia, dicendum ei fuit: *δεδουλωμένων*, non *κεκακωμένων*; nam nulla inest ex contrario oppositio inter afflictam condicionem et curam rei affligentis depellendæ; sed ita locutus est, quod mirum sibi videretur, Jones, quamvis male affecti essent, non tamen studium illius conventus deposuisse, sacrorum et ludorum celebrandorum causa habiti. — In libro negligenter scripto hoc uno loco, auctorem suo judicio stare, animadverti; quapropter nemo mirabitur, non sæpius a me illum librum laudatum esse.

[97]) Her. VI, 42: *Ἀρταφρένης, ὁ Σαρδίων ὕπαρχος, μεταπεμψάμενος ἀγγέλους ἐκ τῶν πολίων, συνθήκας σφίσι αὐτοῖσι τοὺς Ἴωνας ἠνάγκασε ποιέεσθαι ἵνα δωσίδικοι εἶεν, καὶ μὴ ἀλλήλους φέροιέν τε καὶ ἄγοιεν.*

Mirum Tittmanni negligentiæ errorem hoc loco præterire non possum. Is p. 669 hæc scripsit: "Auch im Peloponnesischen Kriege finden wir einen Unterfeldherrn (Hyparchos) Joniens (Thucyd. VIII, 31), also eine regelmässig

Ex quo tempore ne suspicio quidem foederis ejusmodi esse potest. Quæ quum ita sint, apparet, credo, primum antiquioribus temporibus, quum liberi essent Jones a dominationo aliena, nullam foederis conjunctionem, quæ communi vinculo res et rationes illarum civitatum publicas complecteretur, fuisse, neque illos conventus (Panionia) a ceteris conventibus πανηγύρεων nomine appellatis diversos fuisse; deinde, libertate amissa, quum alieno imperio parerent, ne potuisse quidem ullum ejusmodi foedus esse, nisi per breve aliquod tempus, dum illud servitutis jugum communi consilio excutere conarentur.

§ 8. Itaque non mirum est, illas civitates, dum liberæ essent, vehementissima inter se bella gessisse. Acres adversarios Erythræos Chiis fuisse et fabula docet et historia.

Fabuloso quidem tempore gravissimum inter Chios et Erythræos de signo quodam Herculis, rate advecto, certamen fuisse, idque tandem signum Erythræos tenuisse, auctor est Pausanias (VII, 5, 3).

Jam vero, quo fere tempore Jones illas civitates conlidisse feruntur, domesticam seditionem a paucis quibusdam Erythræis ut rerum potirentur motam, a Chiis sustentatam esse, tradidit Hippias Erythræus [98]): Cnopo enim Erythrarum domino interfecto (quum Delphos ad oraculum proficisceretur), interfectores illos Cnopi Chium advectos ab Amphiclo et Polyteeno, Chiorum tyrannis, auxilium petivisse; quod quum impetrassent, Erythris captis crudeliter et aspere victoriam exercuisse, donec Hippotes, Cnopi frater, exercitu Erythras adducto patriam a dominatione illorum tyrannorum liberaret.

Alius inter Chios et Erythræos belli memoriam summa quidem obscuritate involutam reliquerunt Plutarchus et Polyænus [99]):

Quum vir qvidam inter Chios nobilis uxorem duceret, rex Chiorum Hippoclus, necessarius mariti, effusa hilaritate usus animos amicorum mariti adeo offendit, ut regem interficerent. Deo igitur irato, interfici eos, qui cædis illius socii fuissent, jubente, quum omnes

---

geordnete gemeinschaftliche Kriegsverfassung." Tamos Ὕπαρχος Ἰωνίας, quem Thucydides l. l. nominat, est ὕπαρχος Tissaphernis (Thuc. VIII, 87), Memphites, Diod. Sic. XIV, 19.

[98]) Ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν περὶ τῆς πατρίδος ἱστοριῶν, Athen. VI, p. 258 F.

[99]) Plutarch. de virt. mul. c. 3, ed. Hutten VIII, p. 267 seq. Polyæn. VIII, 66 dotum Chiarnm tantum tradidit.

interfectores ejus se esse dicerent, omnes urbem relinquere jussi sunt. Ex quo oraculo omnes, qui cædis illius participes aut affines erant, neque pauci neque infirmi *Leuconiam*[100]) coloni missi sunt, quam Coronæis ademptam prius cum Erythræis possederant Chii.

Postea autem bello cum Erythræis orto, quum Erythræi quoque expeditionem contra Leuconiam facerent, Chii resistere non valuerunt sponsionemque fecerunt, ut cum sola tunica et pallio decederent. Sed a mulieribus increpiti, quod inermes per hostes ituri essent et moniti, qua ratione sponsionem et jusjurandum eludere possent, Erythræis dixerunt, fortibus viris hastam pallium, scutum tunicam esse. Quæ quum audissent Erythræi, audaciam Chiorum veriti neque eos, quo minus armati abirent, impediverunt, et quod metu eorum liberati, essent lætati sunt. Ita Chii servati sunt![101])

---

[100]) Quænam sit hæc urbs, incertum est. Vidimus supra (p. 9) urbem fuisse Chii Leuconium; sed utrum eadem sit urbs, an diversa, definire non licet, quum ne regio quidem nominetur, ubi Leuconia ista sita fuerit. Quo magis miror, unde ista sumpserit C. O. Müller V. D. (Orchom. p. 399): Ein Leuconia lag bei Erythrä der Insel Chios gegenüber — Koronæer hatten es nebst Erythræern in Besitz genommen und Landesverwiesenen Chiern als Zufluchtsort angeboten. (?) Verba Plutarchi hæc sunt: *Οὕτω δὲ τοὺς αἰτίους — ἀπῴκισαν (οἱ Χῖοι) εἰς Λευκωνίαν, ἣν Κορωνεῖς ἀφελόμενοι πρότερον ἐκτήσαντο μετ' Ἐρυθραίων.* Licet concedam, ferri posse interpretationem Mülleri (quanquam non debeo; nam *ἀφαιρεῖσθαι*, nisi adjectum est, *cui* quid eripiatur, dici vix potest), altera tamen præferenda est interpretatio, et quod simplicior est, et quod nomen Leuconiæ *Boeotium* a Coronæis Boeotiis illi urbi impositum esse videtur; nam Plutarchum credo errasse, *Κορωνεῖς* scribentem, quum sine dubio intelligendi sint *Κορώνειοι*. Cf. Strab. IX, p. 411, § 29 extr. Coronæos utrosque appellant Romani scriptores. — De re obscura nihil tamen pro certo affirmaverim. Præstat enim tacere, quam multa inaniter moventem frustra sudare, quod commisit Coraes l. l. p. 14 seqq.

[101]) Monuit me hic locus, ut de coloniis Chiorum dicendum esse putarem. Nam præter obscurum illud vestigium coloniæ a Chiis deductæ alterum modo est vestigium alterius coloniæ non magis certum. Scymnus enim Chius v. 675 (Huds. II, p. 39) hæc cecinit:

Μαρώνεια, οὗ κατοικῆσαι τὸ πρὶν
Τοὺς Κίκονας ἱστοροῦσι τοὺς ἐν Ἰσμάρῳ·
Αὕτη δὲ Χίων ἐγένεθ' ὕστερον κτίσις.

Sed quo tempore hoc factum sit, non perspicitur; quorum quidem temporum res historiæ fide traditæ sunt, iis nullum est vestigium coloniæ alicujus a Chiis deductæ. Quo magis adducor, ut credam, rem fictam esse, et ad fabulosum tempus referendam esse originem illius fictionis. Diodorus Siculus (V, 79), Rhadamanthum *Euanthi* Bacchi filio patri Maronis Maroneam

Neque vero in fabulis solum servata est memoria illorum bellorum, sed ipse Herodotus (I, 18) testatur, Milesios Chiis in bello, quod cum Erythræis gereretur, opem tulisse; quod factum esse ante id bellum, quod Milesiis cum Sadyatte Lydo esset.

Neque armis modo, sed etiam dolo certatum esse ostendit locus quidam Athenæi (IX, p. 384 D seq.):

Ἀντικλείδης ἐν ἑβδομηκοστῷ ὀγδόῳ νόστων· Ἐν δείπνῳ, φησὶ, μελλόντων Χίων ὑπ' Ἐρυθραίων ἐξ ἐπιβουλῆς ἀναιρεῖσθαι, μαθών τις τὸ μέλλον γίνεσθαι, ἔφη·

Ὦ Χῖοι· πολλὴ γὰρ Ἐρυθραίους ἔχει ὕβρις,
Φεύγετε δειπνήσαντες ὑὸς κρέα, μηδὲ μένειν βοῦν!

et Frontinus (II, 5, 15, si recte restituit Oudendorpius locum *Chii* pro *Hii* scribens, quod credo) hunc dolum Chiorum memoriæ prodidit: "Chii, qui adversus Erythræos bellum gerebant, speculatorem eorum in loco edito deprehensum occiderunt et vestem ejus suo militi dederunt, qui ex eodem jugo Erythræos signo dato in insidias evocavit."

§ 9. Quæ de antiquissimis Chiorum rebus tradita sunt, brevi in conspectu proponere jam conabor. Antiquissimi insulæ cultores Pelasgi fuerunt e Thessalia orti; his se Leleges (et Cares?) adjunxerunt. Eos sibi Cretenses, maris imperium aliquamdiu tenentes, subjecerunt; Cretensium vero potentia fracta, Cares invaluerunt, Cretensium socii; Lelegum certe reliquiæ non infirmæ superfuerunt; hoc fere tempore inter bellum Trojanum et universam Jonum migrationem Abantes accessisse suspicor; denique quum in insulam immigrassent Jones, omnes primo conjunctos fuisse; deinde crescentibus Jonum viribus, ceteros vel subactos esse vel ejectos.

Chius quum Jonum facta esset, aliquamdiu regibus sive tyrannis paruit, quorum qui ultimus nominatur Hector societatem cum ceteris Jonibus Asiaticis coisse dicitur.

Antiquis illis temporibus hostes habuerunt Chii Erythræos, socios Milesios, quibus in bello, quod Milesiis cum regibus Lydorum, Sadyatte et Alyatte, Miletum XI annos bello prementibus, fuit, gratiam retulisse

---

tradidisse, narrat. Hunc autem Euanthem alii (sic Jon Chius apud Paus. VII, 4, 6) Oenopionis filium esse fingebant. Quod mihi Scymnus Chius arripuisse videtur, ut Maroneam coloniam Chiis suis vindicaret. — De Maronea, *Cretensium* colonia, cf. Hoeck Kret. II, p. 235 seqq.

dicuutur. Neque tamen bellicas solum rationes inter Chios et Lydos intercessisse, vel iude perspicuum est, quod Alyattes morbo quodam liberatus opus illud Glauci Chii nobilissimum Delphos douarium misit. (Her. I, 25, Paus. X, 16.)

§ 10. Croesus Alyattæ filius Jones, Æoles, Dores Asiaticos subegit [102]; sed quo minus iis, qui insulas incolerent, Græcis eandem fortuuam pararet, sapienti consilio sive Biautis sive Pittaci prohibitus esse, quiu etiam hospitium cum iis contraxisse dicitur. (Her. I, 27). De singulis nihil nominatim traditur.

Postquam in Asia Cyrus Lydos devicit, Jones et Æoles, ut quibus condicionibus Croeso paruissent, iisdem illo victore uterentur, frustra excepta Mileto ab illo petieruut (Her. I, 141). Neque tamen, insulis quicquam metuendum erat, quum nec Persis ipsis classis esset, neque dum Phoenices parerent. (Her. I, 143).

Subactos Lydos Lydus Pactyas, a Cyro custos divitiarum et Croeso et ceteris Lydis ereptarum appositus, brevi post ad defectionem impulit. Sed qunm audivisset, exercitum Persarum duce Mazare contra se ire, desperato consilio Cymen aufugit. Quo qunm Mazares legatos, qui postularent, ut Pactyas sibi dederetur, misisset, Cymæi ex oraculo eum dedere non ausi Mytileuen miserunt; quem quum Mytilenæi Persis traditari essent, Cymæi Chium avexerunt. [103] Chii Pactyam, quanquam iu ædem Minervæ urbis præsidis confugerat, tamen Persis mercedem pacti regionem Atarneam dedidernnt. [104]

---

[102]) Her. I, 6, 26, 141; c. 6 parum accurate Herodotus jecit, ante Croesi regnum omnes Græcos liberos fuisse, quum ipse c. 14 seqq. tradiderit, quas Mermnadum quisque urbes Joaicas ceperit.

[103]) Her. I, 153, 154, 157, 160.

[104]) Her. I, 160. Paus. IV, 35, 5: *Ἀταρνεὺς ὁ Χίων μισθὸς, ὃν παρὰ τοῦ Μήδου λαμβάνουσιν, ἄνδρα ἐκδόντες ἱκέτην, Πακτύαν τὸν Λυδόν.* Ataraeus nomen erat commune et urbis et regionis, quæ iu Mysia sita erat ad mare e regione Lesbi insulæ inter Adramyttium et Pitanea. Her. I, 160, VIII, 106, Paus. l. l. Strab. XIII, p. 581, inf. p. 607 sum. p. 611 inf. (§ 60) p. 614 (§ 67) p. 615 (§ 69). Scylax Caryand. perip. (Huds. I, p. 36): *Ἡ δὲ χώρα Λεσβία καὶ ὑπὲρ ταύτης ἡ Χίων χώρα καὶ πόλις Ἀταρνεύς.* Bene munitum fuisse aliquando locum docent Xenoph. Hellen. III, 2 § 11 (ed. Schneid. p. 139) et Diodorus Sic. XIII, 65. (Hic quidem Ataraeum contra Chiam jacere imperite scripsit). Steph. Byz. s. v. Atarna locum nominat. Plinii temporibus urbe intercidisse

Quam turpi facinore Chii Atarneum adepti essent, ne ipsos quidem fefellit; neque enim deo cuiquam liba aut aliud genus sacrorum per longum tempus inde offerre ausi sunt et a sacrificiis omnia, quæ ibi nascerentur, arcebant. (Her. l. l.) Mortuo Mazare, Harpagus dux Persarum factus Phocæam aggreditur. Phocæi quum resistere non possent, cum Harpago pacti, ut induttiis unius diei factis, exercitum ab urbe sua reduceret, omnia quæ moveri poterant, navibus imposuerunt et Chium navigarunt. A Chiis petebant, ut Oenussas insulas sibi venderent; Chii autem verentes, ne Oenussæ a Phocæis possessæ mercatura potirentur et sua insula excluderetur, rem recusarunt. Itaque Phocæi alio se converterunt (Her. I, 164 seq).

§ 11. Quum Harpagus Jones, qui continentem habitarent, in potestatem suam redegisset, ceteros, qui insulas tenerent, idem timentes ultro se Cyro tradidisse, auctor est Herodotus (I, 169). Sed dissentire videtur Thucydides (I, c. 16, cf. c. 13), qui Jonicas continentis urbes a Cyro, insulas postea a Dario subactas esse affirmat. Sed in Thucydidis l. l. vis verbi, quod est *ἐδούλωσε*, premenda est, quod sane verbum de voluntaria deditione locum non habet. Neque Thucydidis est consilium h. l. accuratam illius temporis historiam scribere, sed illud tantum ostendere, quænam res impediverint, quo minus auge-

---

dicitur. Plin. V, 32: intercidere Canæ, Lysimachia, Ataraea (sic), Astyra. idem XXXVII, 56 (extr.): Æolidis Atarne (sic), nunc pago, quondam oppido.

In illa regione fuerunt Astyra, balneis insignia; Paus. IV, 35, 6: *Τὸ ὕδωρ δὲ ἀπὸ πηγῶν ἀπερχόμενον μέλαν ἰδὼν οἶδα ἐν Ἀστύροις· τὰ δὲ Ἄστυρα ἐπαντικρὺ Λέσβου λουτρά ἐστι θερμά, ἐν τῷ Ἀταρνεῖ καλουμένῳ.* Strab. XIII, p. 613 § 65: *Μυσίας δὲ καὶ Ἄστυρα, τὴν πλησίον (τοῦ Ἀδραμυττίου) κώμην φασίν· ἦν δὲ πολίχνη ποτέ, ἐν ᾗ τὸ τῆς Ἀστυρηνῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν ἄλσει, προστατούμενον μεθ' ἁγιστείας ὑπ' Ἀντανδρίων, οἷς μᾶλλον γειτνιᾷ. κ. τ. λ.* p. 614: *πάντα δὲ ταῦτά ἐστι τὰ ὀνόματα τόπων ἐρήμων, ἢ φαύλως οἰκουμένων.* Cf. Scylax Caryand. l. l. Commemoratur ab Herodoto (VI, 29) etiam *Malene*, regionis illius locus quidam, ubi Histiæus a Persis captus est. Quo temporo Chii Atarneum amiserint, non traditur; sed veri simile est, a Dario Hystaspis Chios illa regione multatos esse. Postea quidem paruit Hermiæ eunucho, amicitia Aristotelis viro nobilissimo. Strab. XIII, p. 614 § 67: *Ἀταρνεὺς δ' ἐστὶ τὸ τοῦ Ἑρμείου τυραννεῖον.* Cf. Ulpian. ad Demosth. Philip. IV, p 81, § 46. Harpocrat. s. v. Photii bibl. c. 279 p. 530 a, Bekk. *τοῦ Ἀταρνέως (πόλις δ' αὕτη Θρακίας!) ἐκτομίας ὢν καὶ δοῦλος ἦρξεν Ἑρμείας.* — Miseras calumnias Plutarchi (de malign. Her. c. XX, ed. Hutten XII, p. 298 seq.) jampridem diluit Creuzerus ad Historiæ Gr. fragment. p. 101.

rentur opes Jonum. Ad violentam igitur insularum post seditionem Jonicam oppressionem sine dubio respicit Thucydides. Similiter fere explicandum est, quod tradit Æschylus (Pers. v. 884 Dind.), Chium a Dario devictam esse. Ibi enim chorus (sive poëta) in eo versatur, ut ostendat, quantas res Darius gesserit, ut cum infausta illa Xerxis expeditione compararentur.

Quicquid est, certe quidem Dario Hystaspis ante bellum Jonicum tributum solvebant (Her. III, 90, VI, 42); in expeditionibus copias navales dare debebant, quod quidem factum esse, quum Darius exercitum contra Scythas duceret, legimus. (Her. IV, 89). Quanquam enim de Jonibus universis verba facit Herodotus (l. l.), perspicuum tamen est, Chios, ut solet, inter illos numeratos fuisse, quum Strattis, Chiorum tyrrannus, illi expeditioni interfuerit. (Cf. Her. IV, 98 et 138). Is Persis auctoribus quasi præfectus quidam insulæ institutus esse videtur. [105]) Quapropter illorum tyrannorum quam maxime interfuit, ut res Persarum ne imminuerentur, et quum ceteri plerique, tum Strattis, Chiorum tyrannus, pontem in Istro flumine factum rescindi noluit (Her. IV, 138 seq.).

Non igitur mirum est, illos tyrannos popularibus suis minime in deliciis fuisse, et ab Aristagora, Joniæ concitatore, ejectos ad Persas confugisse (Her. VI, 9 et 13, V, 38).

Huic seditioni acerrime interfuerunt Chii, de quorum rebus hoc bello gestis hæc memoriæ prodita sunt.

§ 12. Aristagoras, postquam Athenis Miletum revertit, ut Darium regem ægritudine afficeret, Pæones, qui a Persis inviti in Phrygiam abducti erant (Her. V, 15), ut domum fugerent, hortatus est. Quod quum Pæonibus persvasum esset, illi cum mulieribus ac liberis aufugerunt, cumque ad mare venissent, Chium transgressi sunt. Qui quum in Chio jam essent, magnus Persarum equitatus, qui eos persecutus non deprehenderat, nuntio ad Pæones misso postulavit, ut redirent; Pæones autem noluerunt, et a Chiis Lesbum deducti, a Lesbiis Doriscum vecti, inde in Pæoniam pedibus venerunt (Her. V, 98).

---

[105]) Cf. Wachsmuth Hell. Alterth. I, 1, p. 277 et Panofka de reb. Samiorum p. 49.

Posthac Histiæus a Dario, fallaci ejus oratione decepto, ad Jonicum tumultum sedandum missus, Sardis venit. Sed quum se Artapherni, præfecto Sardium, gravissime suspectum esse sentiret, Chium nocte aufugit. Chii quum eum ab rege contra se missum suspicarentur, vinxerunt; sed tota re cognita vinclis solverunt (Her. VI, 1 seqq.). Tum Histiæus, id ipsum petens, a Chiis Miletum deductus est; sed quum Milesii eum recipere noluissent, neque ipse vi quicquam contra eos efficere potuisset, Chium revertit. Tandem, quum illi naves petenti Chii dare recusarent, Mytilenen navigavit, ubi quod cupiebat impetravit. (Her. VI, 5).

Jam vero omnes Persarum copiæ et pedestres et navales impetum in Miletum dare, ceteras urbes minoris facientes, constituerant (Her. VI, 6). Quod quum Jones cognovissent, legatos consiliarios (προβούλους) suos quæque civitas ad Panionium misit. Ibi rejecto pedestris exercitus colligendi consilio constitutum est, ut omnes copiæ navales nulla relicta navi quamprimum ad Ladam adessent, si navali proelio Miletum defendere possent (Her. VI, 7). Jonum copiis Lesbii septuaginta naves adjunxerunt.

E numero navium facile perspicitur, illo tempore potentissimam omnium Jonum fuisse Chiorum civitatem; qui soli centum præbuerunt naves (quarum in singulis quadrageni cives delecti erant armati, Her. VI, 15); proxime ad eos accesserunt Milesii et Samii, illi octoginta, hi sexaginta naves suppeditarunt. Multo inferiores ceteri, Teii decem et septem, Prienenses duodecim, Erythræi octo, Myusii et Phocæi ternas utrique. Hæ naves omnes numero fuerunt CCCLIII (Her. VI, 8).

Persarum duces, quanquam iis DC naves erant, tamen, ne Græci superiores evaderent, veriti, tyrannos Jonum, qui una erant, hortati sunt, ut suos quisque cives a communi causa abalienare studerent. Rem primo nequicquam conati sunt tyranni (Her. VI, 9 seq.).

Neque tamen Jones duram disciplinam et molestas exercitationes, quas iis præcepit Dionysius dux Phocæorum, diu perferre poterant, et militiam detrectantes in insula Lada tendebant. Quod quum Samiorum duces cognovissent, condiciones Æacis tyranni quondam sui acceperunt, quum præsertim intelligerent, fieri non posse, ut rex vinceretur (Her. VI, 12 seq.). Itaque commisso proelio plerique Samiorum ex composito

fugam ceperunt (Paus. VII, 10, 1; Her. VI, 14), Leshii eorum exemplum secuti sunt; denique ceteri plerique idem fecerunt.

At non Chii! qui cum paucis sociis relicti et fortissime pugnantes, splendidissimis facinoribus editis, captisque hostium navibus multis, suas plurimas tandem amiserunt; cum reliquis navibus domum fugiebant. Quarum nonnullæ, quum per latera manantes cursum tenere non possent, ad Mycalen appulsæ relictæ sunt; ipsi quum pedestri itinere per agrum Ephesium nocte domum tenderent, ab Ephesiis pro latronum manu habiti, qui mulieres (erant enim Thesmophoria) rapere vellent, trucidati sunt (Her. VI, 15 seq.).

Neque vero hæc sola clades Chios perdidit. Histiæus enim Milesius, qui circa Hellespontum et Byzantium navium Jonicarum prædator versabatur, audita Mileti expugnatione, navibus illis Lesbiis Chium navigavit. Præsidio Chiorum, quod cum admittere nolebat, ad Coela maximam partem trucidato, ceteros Chios e proelio navali male affectos, facile devicit (Her. VI, 26). Neque vero ita multo post flagitiorum suorum poenas dedit. Ab Harpago enim captus, in crucem actus est (Her. VI, 29, seq.).

Auctor est Herodotus (VI, 27), qui magna mala magnis ostentis portendi censet, duabus calamitatibus illas clades denuntiatas fuisse; primum enim quum chorus centum adolescentium Delphos missus esset, ceteris pestilentia abreptis duos solos redisse; deinde brevi ante infelix illud proelium navale, pueris centum et viginti litteras discentibus tectum incidisse, ut præter unum omnes opprimerentur.

Consumpta hieme, qua ad Miletum hiemabat classis Persarum, sequenti anno facile occupantur Chius, Lesbus, Tenedus; ipsi incolæ singulari modo velut indagine clausi capiuntur. (Genus capiendi tale describitur. Persæ ab altera parte insulæ ad alteram conjunctis manibus peragrantes, homines quasi feras agunt capiuntque). Neque Persarum duces minarum obliti sunt, quas Jonibus intentaverant; exsectis enim formosissimis pueris, et puellis pulcherrimis ad regem abductis, et incensis cum templis urbibus, insulæ illæ plane devastantur (Her. VI, 31 seq.).

§ 13. His rebus ita gestis, Artaphernes præfectus Sardium res Jonum ordinare aggressus est, et legatis Jonum convenire jussis res et lites eorum composuit. Regiones accurate dimensus tributa

constituit, ab antiquis tributis nihil fere diversa, quæ, quamdiu Herodotus vixit, mutata non sunt (Her. VI, 42).

Rebus ita ordinatis sine dubio restitutus est Strattis, Chiorum tyrannus (Her. VIII, 132); nam, quod Mardonius ille tyrannos Jonum ejecisse omnes et democratias, quas vocant, instituisse narratur (Her. VI, 43), sine dubio non diu mansit illa mutatio; Chium fortasse ne attigit quidem. Strattim certe posthac (a. CCCCLXXIX a. Chr. n.) Chio dominari videbimus.

Quum Datis et Artaphernes bellum adversus Græciam pararent, urbibus maritimis Græcis stipendiariis copiæ navales imperatæ sunt (Her. VI, 48). De singulis nihil separatim traditur.

Quum Xerxes bellum contra Athenas ipse moveret, Jones, in quibus Chii et Samii, centum naves dederunt (Her. VII, 94, Diod. Sic. XI, 3 sub finem).

In nobilissima illa ad Salaminem pugna Jones contra Lacedæmonios auroram versus et Piræum collocati fortiter pugnaverunt (Her. VIII, 85).

Sed hoc proelio superatis Persis, Chii confestim jugum excutere Persarum studuerunt, et contra Strattim conjuraverunt septem Chii nobiles, quorum princeps fuit Herodotus Basilidæ filius. Quorum quum unus consilium illud prodidisset, ceteri fugere coacti, Spartam se contulerunt, ut Lacedæmonios ad Joniam liberandam hortarentur. Sed quum jam Græcorum naves ducibus Leotychide Spartano et Xanthippo Atheniensi ad Æginam convenissent, illuc Chii profecti, pro legatis Jonum a Græcis petiverunt, ut in Joniam navigarent. Neque tamen illi metu navium barbarorum et propter imperitiam locorum præter Delum navigare ausi sunt (Her. VIII, 132). Æstate demum fere exacta a legatis Samiorum de rebus Persarum edocti, foedere cum Samiis facto, Græci a Delo Samum profecti sunt (Her. IX, 90-92, 96).

§ 14. Tum consecuta est gravissima illa ad Mycalen pugna; labantibus jam Persarum rebus, Samii, qui in castris erant Persarum, primi desciverunt; quorum exemplum ceteri Jones secuti sunt. Sic iterum a Persis defecit Jonia [106]). (Her. IX, 103 seq. cf. Diod. Sic. XI, 34-37).

[106]) Jampridem sublatus est error, jam in proelio Platæensi interfuisse Chios, e falsa scriptura nominis apud Paus. V, 23, 1 ortus. Retinuit errorem Coraes, l. l. p. 103.

Consultantibus deinde Sami Græcis placuit cum Samiis, Chiis, Leshiis ceterisque insulanis, qui una militarent, foedus facere; ceteros Jones a se defendi non posse arbitrabantur (Her. IX, 106).

Ex hoc foedere Lacedæmoniis, quorum tum summum erat imperium (ἡ ἡγεμονία), se adjunxerunt Jones; mox autem violento Pausaniæ imperio, quum ad Byzantium essent, exasperati socii et maxime Chii, Samii, Leshii, ad Athenienses et Aristidem se converterunt; illi persvadebant, ut summum imperium acciperet et ceteros socios sibi devinciret, qui jamdiu Lacedæmonios relinquere et cum Atheniensibus conjungi se cuperent. Aristides autem ab iis postulavit, ut rem, quæ fidem faceret, a multitudine sententiam non mutatum iri, susciperent. Tum Uliades Samius et Antagoras Chius conjuratione facta triremem e classe Pausaniæ adorti capiunt. Quo facto cum Atheniensibus studiosius se conjungunt Jones, et Aristides justissime constituit, quinam sociorum tributa, quinam naves præberent[107]).

§ 15. Erant initio illa tributa eo tantum consilio instituta, ut inde bellum contra Persas adornaretur. Sed Athenienses hæc tributa, sensim aucta, in suos usus converterunt, sociosque indigne id ferentes alium post alium aut aperte sibi subjecerunt, ut stipendiarii et dicto audientes essent, aut clam, ut liberi quidem specie essent, neque tamen imperium Atheniensium detrectare auderent. Quorum in numero erant Chii. Auctor est Thucydides pluribus locis, inprimis l. I c. 19; II. 9; VI, 85; VII, 57: τούτων (Ἰώνων) Χῖοι οὐχ ὑποτελεῖς ὄντες φόρου, ναῦς δὲ παρέχοντες αὐτόνομοι ξυνέσποντο.

Rem totam optime illustrabit oratio Mytilenæorum, qua eos facit utentes apud Spartanos Thucydides (III, 10): Ἡμῖν δὲ καὶ Ἀθηναίοις ξυμμαχία ἐγένετο πρῶτον, ἀπολιπόντων μὲν ὑμῶν ἐκ τοῦ Μηδικοῦ πολέμου, παραμεινάντων δὲ ἐκείνων πρὸς τὰ ὑπόλοιπα τῶν ἔργων· ξύμμαχοι μέντοι ἐγενόμεθα, οὐκ ἐπὶ καταδουλώσει τῶν Ἑλλήνων Ἀθηναίοις, ἀλλ' ἐπ' ἐλευθερώσει ἀπὸ τοῦ Μήδου τοῖς Ἕλλησι. Καὶ μέχρι μὲν ἀπὸ τοῦ ἴσου ἡγοῦντο, προθύμως εἱπόμεθα· ἐπειδὴ δὲ ἑωρῶμεν αὐτοὺς τὴν τοῦ Μήδου ἔχθραν ἀνιέντας, τὴν δὲ τῶν ξυμμάχων δούλωσιν ἐπαγομένους, οὐκ ἀδεεῖς ἔτι ἦμεν.

[107]) Plut. Aristid. c. XXIII, et c. XIII cf. Thucyd. I, 95, Diod. Sic. XI, 46 seq. De temporis ratione cf. Clinton, Fast. Hell. p. 248 seqq. (p. 262 ed. Krüger) contra Dodwell (Ann. Thucyd. p. 61-63) et Corsini (Fasti Attic. T. III, p. 181-183).

Ἀδύνατοι δὲ ὄντες καθ' ἓν γενόμενοι διὰ πολυψηφίαν ἀμύνασθαι οἱ ξύμμαχοι ἐδουλώθησαν πλὴν ἡμῶν τε καὶ Χίων. Ἡμεῖς δὲ αὐτόνομοι δὴ ὄντες καὶ ἐλεύθεροι τῷ ὀνόματι ξυνεστρατεύσαμεν [108]).

Itaque exstincto bello Persico sæpissime Chios et Lesbios Atheniensibus ex imperato auxilia ferre videbimus.

Quum Phaselin adoriretur Cimon (a. CCCCLXIX a. Chr. n.), Chii, qui cum eo erant, bona et vetere amicitia cum Phaselitis juncti et Cimonem leniebant et epistolis trans muros jactis Phaselitas de omnibus rebus certiores faciebant. Tandem Chiis contigit ita pacem componere, ut Phaselitæ X talentis solutis Cimonem contra barbaros sequerentur (Plut. Cimon. c. XII). — Triginta annis post quum inter Milesios et Samios de Priene bellum exarsisset, illi inferiores opem Atheniensium imploraverunt; Samus ab Atheniensibus subacta est. Mox seditione facta Samii Athenienses expulerunt. Quo facto Pericles adversus Samum profectus navibus LXX, harum navibus XVI non usus (aliæ enim in Cariam iverant, ut Phoenicum naves specularentur, aliæ in Chium[109]) et Lesbum, ut auxilia evocarent) reliquis XLIV navibus Samiorum LXX superavit. Tum auxilio venerunt Athenis XL, Chiorum et Lesbiorum XXV naves. Quibus copiis Samus insula capta est præter urbem, quæ et a terra triplici munitione cincta et a mari obsidebatur. Sed quum Pericles contra Phoenices plerisque navibus profectus esset, Samii eruptione facta et navibus, quæ in statione erant, profligatis ceterisque navali proelio victis, maris sui imperium XIV circiter dies obtinebant. Postquam autem rediit Pericles, iterum obsidione clausi sunt, quumque auxilium navium Atheniensium LX et XXX Chiorum Lesbiorumque advenisset, Samii in dicionem Atheniensium redacti sunt. [110])

---

[108]) Ejusdem fere sententiæ sunt versus hi Eupolidis (apud schol. Aristophan. av. v. 880):

Αὕτη Χίος, καλὴ πόλις,
Πέμπει γὰρ ὑμῖν ναῦς μακρὰς ἄνδρας τ' ὅταν δεήσῃ
Καὶ τἄλλα πειθαρχεῖ καλῶς, ἄπληκτος ὥσπερ ἵππος.

[109]) "Cum apud Athenæum XIII p. 603, F Jon poëta dicat, se cum imperatore Sophocle Lesbum naviganto congressum esse in insula Chio, suspicari licet, ipsi Sophocli illud obtigisse munus, Lesbios et Chios in belli societatem ut vocaret. Monuit Aug. Seidlerus in dissertatione de Sophoclis Antigona, quæ Hermanni editioni præmissa est." Plehn Lesb. p. 59, n. 114. Cf. Strab. XIV, p. 638, § 18.

[110]) Thuc. I, 115 seqq. Diod. Sic. XII, 27 seq. Cf. Panofka de reb. Samior. p. 67 seqq.

Peloponnesiaco bello exorto Chii inviti quidem et Atheniensibus suspecti auxilia ministrabant. Altero anni hujus belli Chii et Lesbii L naves ad expeditionem contra Epidaurum et Potidæam susceptam auxilio miserunt (Thucyd. II, 56, VI, 31).

Septimo anno ad Sphacteriam Chiæ naves IV Atheniensibus adfuerunt (Thuc. IV, 13).

Ejusdem anni hieme Atheniensibus suspecti Chii novos muros (quos quando ædificaverint, non traditur) demoliri jussi sunt, quamvis cum Atheniensibus pacti essent, ne illi quicquam in suis rebus novarent (Thuc. IV, 51).

Anno belli nono inter L naves, quibus Athenienses contra Menden et Scionam expeditionem faciebant, decem erant Chiæ (Thuc. IV, 129).

Anno belli sexto decimo adversus Melum insulam Athenienses XXX suis navibus, sex Chiis, duabus Lesbiis profecti sunt (Thuc. V, 84).

Ad expeditionem illam Atheniensium contra Siciliam Chii et Lesbii quinquaginta naves miserunt (Thuc. VI, 31). Vere ineunte anni decimi octavi in Siciliam missus est Demosthenes cum sexaginta navibus Atheniensium et quinque Chiorum (Thuc. VII, 20).

§ 16. Sed infelici illa expeditione fractis Atheniensium viribus, socii plurimi deficere studuerunt (a. CCCCXIII a. Chr. hieme). Primi Euboenses ad Agin, regem Spartanorum, qui ad Deceleam erat, legatos miserunt, tum Lesbii de defectione eum adierunt. Quibus quum Agis, posthabitis Euboensibus, opem ferre prioribus statuisset, Chii et Erythræi, quorum optimates ab Atheniensibus deficere studebant, non ad Agin, sed ipsam Lacedæmonem accesserunt; cum iisdem aderat etiam legatus quidam a Tissapherne, qui erat rector Asiæ inferioris. Is igitur Peloponnesios incitabat, seque stipendia præbiturum pollicebatur, sperans fore, ut, si Atheniensium vires fractæ essent, facilius in posterum tributa, quæ e civitatibus Græcis, Atheniensibus rem impedientibus, exigere non potuisset, reciperet; quod simul eo consilio fecit, ut Lacedæmoniorum societatem Dario regi conciliaret et Amorgen, qui a rege Cariam abalienaverat, aut vivum caperet aut interficeret. Chii igitur et Tissaphernes communi consilio rem agebant (Thuc. VIII, 5). Eodem fere tempore Calligitus Megarensis et Timagoras Cyzicenus, quorum uterque e patria sua profugus apud Pharnabazum superioris Asiæ rectorem degebat, a

Pharnabazo missi Lacedæmonem venerunt, ut navibus ad Hellespontum missis ipse Hellesponti urbes ab Atheniensibus, tributa regi solvi vetantibus, abalienaret; is quoque sua opera Lacedæmoniorum societatem regi conciliari quam maxime cupiebat. Quæ quum utrique et qui a Tissapherne et qui a Pharnabazo missi erant, separatim agerent, summa contentio inter Lacedæmonios exarsit, utris prioribus auxilium mitteretur. Sed quum Alcibiades, hospes Endii ephori paternus, studiosissime Chiis faveret, Lacedæmonii Chiorum et Tissaphernis res multo magis amplexi sunt [111]).

Quæ quum ita essent, Lacedæmonii tamen prius speculatorem quendam miserunt, qui inspiceret, num Chiis tot essent naves, quot dixissent, et ceteris in rebus urbs illa existimationi hominum satisfaceret. Lacedæmonii quum quæ audivissent vera esse comperissent, et Chios et Erythræos in societatem receperunt, utque illis XL naves mitterentur, publico consilio decreverunt, quod ex iis, quæ Chii dixissent, non minus sexaginta naves ibi esse viderentur [112]). Ac primum quidem decem illis naves et Melancridam, qui nauarchus iis erat, missuri erant, deinde terræ motu facto Chalcideum [113]) loco Melancridæ mittere volu-

---

[111]) Thuc. VIII, 6; cf. Plut. Alcib. c. XXIV. Minus accurate hæc exposuit Diod. Sic. XIII, 34, nec sibi constat; cf. c. 36. — Jamdiu inter Alcibiadem et Chios intercedebat conjunctio quædam legibus vix permissa (Andocid. cont. Alcib. ed. Bekker I, p. 155 § 30), ut Chiorum civitas Alcibiadi pabulum equorum et hostias certis quibusdam temporibus præberet. Præter Andoridis l. l. vid. Plut. Alcibiad. c. XII, Athenæus XII, p. 534, D. Non igitur mirum est, Alcibiadem Chiis tanto studio Lacedæmoniorum auxilium parare studuisse. Quin etiam Lysias (contra Alcib. Bekker p. 291 § 36) Alcibiadem accusavit, quod Chios ad defectionem impulisset. Cf. quæ p. 41 exposita sunt.

[112]) De his verbis Thucydidis cf. Krüger ad Dionys. historiogr. (comment. Thucyd.) p. 288 n. 6, sed quod addit: "numerus, quem facile Chios majorem, quam esset, dixisse credas, minus offensionis habet, si ἐκεῖ simul ad Erythræos refertur", ἐκεῖ necessario de Chio intelligendum est; sed et ex ceteris verbis et per se patet, inter naves illas sexaginta etiam Erythræas fuisse, sed sine dubio *paucissimas*, cf. nos p. 33. Neque video, cur numerus navium offendat, cf. p. 33!

[113]) Krüger l. l. p. 288: "De Chalcideo requiras, Melancridæ loco nauarchus sit factus, an harmosta tantum in Chium missus. Verum esse posterius, inde apparet, quod postmodum, vivo adhuc Chalcideo (v. c. 24) Astyochus nauarchus Cenchreas venit, ᾧπερ ἐγίγνετο ἤδη ἡ πᾶσα ναυαρχία (c. 20). [Quæ verba eo spectare puto, quod ejus decessor Melancridas non nisi Lacedæmoniorum imperium habuisset, Astyochus autem etiam sociorum]". Adde,

erant et pro decem illis quinque aliæ in regione Laconica parabantur (Thuc. VIII, 6).

Sequenti æstate instantibus Chiis, ut naves illæ mitterentur, et verentibus, ne Athenienses, quæ agerentur, cognoscerent, Lacedæmonii tres legatos Spartiatas Corinthum miserunt, ut e sinu Corinthiaco in Saronicum transvectas naves omnes, et quas Agis in Lesbiorum usum pararet (l. l. c. 5), et ceteras Chium navigare juberent. Quæ ibi erant naves sociorum civitatum omnes numero undequadraginta fuerunt. Quibus rebus cognitis Calligitus et Timagoras neque quas pecunias (talenta XXV) attulerant, dare voluerunt et posthac rem suam suo consilio persequi cogitabant (Thuc. VIII, 7, seq.).

Jam quum ne Agis quidem Lacedæmoniorum studio in Chium prius navigandi adversaretur, socii Corinthum deliberandi causa convenerunt. Quibus placuit, ut primum in Chium duce Chalcideo*, deinde in Lesbum Alcamene, postremo in Hellespontum Clearcho duce iretur; iidemque censuerunt, ut dimidia pars navium trans Isthmum vecta statim navigaret. Itaque statim XXI naves transvectæ sunt (Thucydid. VIII, 8).

Quum Corinthii neque ipsi prius navigare quam Isthmia [114]), quæ instabant, habita essent, neque Agidi suas naves committere vellent, illa mora interposita, Athenienses consilia Chiorum magis senserunt, et uno prætorum Aristocrate misso eos incusabant. Negantibus Chiis ad fidem faciendam naves ex jure foederis imperatæ sunt. Illi septem miserunt. Neque mirandum est, naves a Chiis datas esse, quum multitudo, quæ agerentur, ignoraret, pauci illi optimates, qui conscii erant, plebem nondum adversariam habere vellent, antequam plus virium adepti essent, neque, quod moram facerent Peloponnesii, eos jam venturos sperarent (Thuc. VIII, 9). Dum hæc geruntur, Athenienses, quum Isthmia indicta spectatum venissent, manifestius etiam consilia Chiorum deprehenderunt. Itaque quum revertissent, statim paraverunt, ut naves Cenchreis vectæ ne se fallerent. Jam Peloponnesii, duce Alcamene, unam et viginti naves illas solvunt, contra quos totidem navibus, in quibus septem illæ

quod Alcamenes c. V ἁρμοστής appellatus c. VIII ἄρχων non minus quam Chalcideus appellatur. Deinde, qui Chalcideo succedit, Pedaritus a Thucyd. (c. XXIIX) ἄρχων, ab Harpocratione (s. v.) ἁρμοστής appellatur. Quæ uncis inclusi, nollem vir doctus scripsisset. Cf. Goeller ad c. 20.

[114]) De temporis ratione cf. Goeller ad Thuc. VIII, 9.

Chiæ, procedunt Athenienses; Lacedæmoniis recedentibus, Athenienses Chiis navibus diffidentes se quoque primum recipiunt; deinde comparatis XXXVII aliis navibus, Lacedæmonios ad Piræum[115]), portum quendam agri Corinthii ad fines Epidaurios situm, persecuti classem vehementer afflictam, Alcamene duce interfecto, obsessam tenent (Thuc. VIII, 10). Qua clade cognita adeo consternati sunt Lacedæmonii, ut nec suas jam naves ad Jonicum bellum mittere cogitarent, et nonnullas etiam, quæ jam solverant, revocare (Thuc. VIII, 11 extr.). Alcibiades autem, qui cum Chalcideo, illarum V Laconicarum navium duce, Alcamenem sequi debebat (Thuc. VIII, 11), Endio et ceteris ephoris persvadere studebat, ut prius naves mitterentur, quam Chii cladem illam comperissent; se quum in Joniam venisset, facile civitates ad defectionem impulsurum. Endium secreto admonuit, gloriosum illi futurum, si per ipsum Jonia deficeret, et regis societas Lacedæmoniis conciliaretur, neque Agidis illa laus esset. Quæ quum ephoris et Endio persvasisset, ipse cum V illis navibus et Chalcideo duce celeriter profectus est (Th. VIII, 12). Chalcideus et Alcibiades, ne adventus ipsorum proderetur, interceptis quoscunque inter navigandum offenderant, quum ad Corycum[116]) appulissent, quosdam Chiorum conjurationis participes convenerunt, quorum e consilio Chiis necopinantibus supervenerunt. Et plebs quidem, quid rei esset, admirabatur; optimates autem id egerant, ut senatus eo ipso tempore haberetur. Itaque quum Chalcideus et Alcibiades alias multas naves appropinquare affirmassent neque navium ad Piræum obsessarum mentionem fecissent, Chii et Erythræi ab Atheniensibus et ipsi defecerunt et tribus navibus missis Clazomenios etiam ad defectionem impulerunt (Thuc. VIII, 14).

Athenienses, celeriter cognita defectione Chiorum, in summum timorem adducti sunt, ne, quum maxima urbs defecisset, ceteræ quoquo urbes idem facerent. Quæ quum ita essent, VII illis navibus Chiis, quæ una Lacedæmonios ad Piræum circumsederant, abductis, servos libertate donarunt, liberos Chios vinxerunt. Tum, quantum maxime poterant, naves instruxerunt, nec quicquam omiserunt, quo minus bellum adversus Chium pararetur (Thuc. VIII, 15). Itaque Strombichides, dux Athe-

---

[115]) "*Πειραιὸν* in *Σπειραιὸν* mutari jubet C. O. Müller Ephem. Gött. 1823, T. II, fasc. 77, p. 768 et hist. gent. Dor. II, p. 431." Plehn Lesb. p. 70, sed cf. Goeller ad h. l.

[116]) De situ Coryci, inter Eras et Erythras, cf. Strab. XIV, p. 644 § 22.

niensium, cum VIII navibus earum, quæ ad Piræum stationem habebant (quibus antea Chalcideum in Chium navigantem frustra persecutus erat, Thuc. VIII, 15), Samum pervenit et una inde adsumpta navi Teon profectus est, ut eam in officio retineret. Sed Chalcideus quoque XXIII navibus a Chio Teon navigavit, simulque aderat peditatus et Clazomeniorum et Erythræorum. Quod quum Strombichides animadvertisset, Samum se fuga recepit (Thuc. VIII, 16). Chalcideus autem et Alcibiades (Strombichidem ad Samum usque persecuti) armatis Peloponnesiacarum navium nautis et in Chio præsidii causa relictis, et suas naves et XX alias nautis Chiis instructas abalienandæ Mileti consilio solverunt. Consilium ex sententia procedit (Thuc. VIII, 17). Tum inter regem Persarum et Lacedæmonios sociosque eorum auctoribus Tissapherne et Chalcideo primum foedus ictum est his condicionibus, ut quascunque regiones urbesve rex et majores regis habuissent, eæ regis essent; quominus Athenienses ex illis tributa exigerent, et rex et Lacedæmonii sociique communiter prohiberent; bellum cum Atheniensibus utrique communiter gererent; neve, nisi utrisque placuisset, pax componeretur; si quis a rege defecisset, Lacedæmonii sociique eum bello persequerentur, si quis a Lacedæmoniis sociisve, idem regis hostis esset (Thuc. VIII, 18). (Quod foedus posthac renovatum (Th. VIII, 36), a Licha rejectum (c. 43), demum renovatur (c. 57 seq.) a. 411).

Hoc foedere media fere æstate facto (Thuc. VIII, 22), Chii statim X navibus armatis Anæa (portum quendam ex adverso Sami situm, Steph. Byz. s. v.) navigarunt, ut et res Mileti cognoscerent et alias simul urbes abalienarent. Sed quum a Chalcideo nuntius venisset, ut redirent, quod Amorges terrestribus copiis brevi adventurus esse videretur, ad Διὸς ἱερόν, oppidum Joniæ (inter Lebedum et Colophonem, Steph. Byz. s. v.) cursum dirigebant; sed conspectis XI navibus, Diomedonte duce ab Athenis missis, Chiarum navium una Ephesum, ceteræ Teon fugerunt, IV vacuas ipsis viris fuga elapsis Athenienses ceperunt. Deinde quum Athenienses Samum se recepissent, Chii cum ceteris navibus profecti Lebedum et Eras a peditatu Erythræorum et Clazomeniorum adjuti, ad defectionem adduxerunt.[117]) Quibus rebus

[117]) Cf. Krüger l. l. p. 293 seq. et Goeller ad h. l. qui Heilmannum putat recte h. l. ita vertisse: "Die Chier aber gingen mit ihren annoch vorräthigen Schiffen, *auf welche sie die Landvölker an Bord genommen*, in See." Sed quum Thucydides nullo verbo significet, istud factum esse, et

gestis et classis et peditatus domum rediit (Thuc. VIII, 19). Athenienses, duce Diomedonte, brevi post Lebedum receperunt, Eras frustra adorti sunt (Thuc. VIII, 20).

Sub idem tempus Peloponnesiorum naves ad Piræum obsessæ subita eruptione superiores factæ Atheniensium IV naves ceperunt et Cenchreas appulsæ, in Chium et Joniam navigare parabant. Nauarchus ad classem venit Astyochus Lacedæmonius, cui totum imperium navale traditum est (Thuc. VIII, 20). Chii quam plurimos periculi socios habere cupientes ipsi sine Peloponnesiis cum XIII navibus expeditionem in Lesbum (quod antea constituerant Lacedæmonii, ut secundo loco in Lesbum, postremo in Hellespontum iretur) suscipiunt. Illæ naves primum Methymnam, deinde relictis ibi præsidii causa IV navibus, Mytilenen ad defectionem impulerunt (Th. VIII, 22). Jam vero Astyochus nauarchus Cenchreis IV navibus egressus ad Chium appulit. Sed tertio die, ex quo venerat, XXV naves Atheniensium ducibus Leonte et Diomedonte Lesbum pervenerunt. Hoc ipso die vesperi Astyochus, una adsumpta navi Chia, Lesbum versus vela fecit, ut, si posset, opem suis ferret. Qui quum Pyrrham et inde Eressum venisset, Mytilenen ab Atheniensibus primo impetu occupatam esse audivit. Athenienses enim, ut ex improviso ad portum appulerunt, Chiorum navibus devictis, egressi adversarios terrestri proelio fuderant, urbemque ceperant. Quod quum Astyochus et ex Eressiis ipsis et e navibus Chiorum, quæ a Methymna fugientes in ipsum inciderant tres (una enim ab Atheniensibus intercepta est), comperisset, spe Mytilenes occupandæ dejectus Eressios abalienatos armavit cumque suarum navium militibus adversus Antissam et Methymnam Eteonico duce pedestri itinere misit, et ipse cum suis navibus et tribus illis Chiis eodem cursum dirigebat, sperans fore, ut Methymnæi, suo adventu firmati, in defectione perstarent. Sed quum omnia illi adversa essent, pedestribus copiis in naves impositis, Chium revertit. Expeditio, quæ deinde in Hellespontum faci-

---

simpliciter *peditatum adfuisse* dicat, neque ulla sit causa peditatui ad Teon versanti navium, ut Lebedum veniant, conscendendarum, ne ulla quidem causa est, cur istud statuamus. Goelleri causa moneo verba ita distingvenda esse: *οἱ δὲ Χῖοι (ταῖς λοιπαῖς ναυσὶν ἀναγαγόμενοι) καὶ ὁ πεζὸς μετ' αὐτῶν Λέβεδον ἀπέστησαν καὶ αὖθις Ἔρας.* Ceterum, quod Krüger et h. l. et c. XVI vertit: juxta litus proficiscens classem comitabatur, recte a Goellero reprehensus est.

enda erat, omittitur. Athenienses Lesbum receperunt. Brevi post VI naves sociæ Cenchreis Chium veniunt (Thuc. VIII, 23).

Non ita multo post eadem æstate Athenienses ad Panormum, regionis Milesiæ portum, fugato exercitu Lacedæmoniorum et interfecto Chalcideo duce quum superiores facti essent, omnibus navibus, quæ in illo mari erant, collectis, ducibus Leonte et Diomedonte, belli totius molem Chiis inferunt; ad Cardamylen egressi quum ad Bolissum Chios, qui ad vim propulsandam occurrebant, graviter afflictos proelio vicissent, totam illam regionem vastarunt. Victis deinceps et ad Phanas et ad Leuconium Chiis, quum nullæ jam contra eos copiæ progredi auderent, illi insulam, optime ornatam et a Medicis temporibus ad hoc usque tempus nihil calamitatis perpessam gravissime perdiderunt. Itaque quum Chii in urbem ipsam compulsi mari intercluderentur insulaque diriperetur, e populari factione quidam urbem Atheniensibus tradere parabant. Quod quum magistratus Chiorum animadvertissent, ipsi quidem quieverunt, Astyochum autem Erythris cum IV navibus, quæ ei erant, in urbem arcessiverunt et cum eo deliberarunt, quo lenissimo modo vel obsidibus capiendis vel alia qua ratione insidias illas opprimere possent (Thuc. VIII, 24).

Sequenti hieme quum Atheniensium naves omnes, etiam quæ ad Chium steterant, ad Samum contractæ essent, et XXXV Charmino, Strombichide, Euctemone ducibus domo advenissent, constitutum est, ut navibus Miletus, et navibus et pedestribus copiis Chius oppugnaretur. Hoc munus sortiti Strombichides, Onomacles, Euctemon duces navibus XXX et magno numero militum gravis armaturæ navibus vectoriis imposito adversus Chium profecti sunt. Ceteræ Atheniensium naves numero LXXIV ad Samum illo tempore manserunt (Th. VIII, 30). Quum Astyochus (quem supra diximus in obsidibus eligendis occupatum fuisse) naves Theramene duce suis auxilio venisse et res sociorum meliore loco esse comperisset, illud quidem remoto timore omisit, et adscitis navibus Peloponnesiis X totidemque Chiis ipse ultro hostem lacessere constituit. Ac primum quidem Pteleon frustra adoritur; deinde Clazomenas petivit, ut si qui Atheniensibus faverent, eos inde depelleret. Qua etiam spe elusus Phocæam et Cymen delatus est (Thuc. VIII, 31). Ibi legati a Lesbiis, qui denuo deficere cupiebant, eum adeunt, ipsique facile persvadent; sed adversantibus Corinthiis ceterisque sociis, Chium navigavit, eodemque etiam aliæ aliunde postea accesserunt naves,

quæ hiemaverant (Th. VIII, 32). Jam exeunte æstate superiore Pedaritus, Leontis filius, ut in Chalcidei locum succederet Chium missus, Erythras venerat (Th. VIII, 28 extr). Is denique hoc fere tempore cum exercitu (quo in numero etiam erant reliquiæ Chalcidei militum ad D) Erythris Chium trajecit. Lesbiis quibusdam adhuc defectionem ostendentibus, Astyochus Pedarito et Chiis persvadere conatus est, ut Lesbiis succurrerent (Th. VIII, 32). Quod quum illi recusarent, negante Pedarito, se ei Chiorum naves permissurum, Astyochus iratus cum suis navibus et sociorum nonnullis Miletum navigavit, minatus, ne si opus quidem esset, se Chiis auxilio futurum (Th. VIII. 33). Jam Atheniensium classis progrediens (in quam pæne delatus est Astyochus), quum ad Argennum promontorium tribus navibus Chiorum longis incidisset, easque persequeretur, ingenti tempestate coorta, Chiorum quidem naves in portum ægre se recipiunt, Atheniensium autem tres naves longius evectæ, ad urbem Chium ejiciuntur, ipsi vel capiuntur vel moriuntur. Ceteræ naves servatæ postea Lesbum navigant (Thuc. VIII, 34). Inde profecti Athenienses Chium copiis trajectis terra marique victores Delphinium communiunt. — Jam vero illo tempore Chiorum res quam gravissime afflictæ erant; etenim superioribus proeliis illis ab Atheniensibus perculsi erant et sibi invicem suspecti, quum alteri optimatium et Lacedæmoniorum, alteri Atheniensium et popularium partibus addicti essent. Pedariti autem et Lacedæmoniorum ope optimates superiores facti sunt. Tydeus, Jonis[118]) filius, popularis factionis princeps cum sociis ἐπ᾽ Ἀττικισμῷ interfectus est a Pedarito et optimatium imperium violenter constitutum. Itaque quum neque ipsi Chii neque mercenariæ Pedariti copiæ Atheniensibus pares essent, Miletum missi sunt, qui opem Astyochi implorarent; quam quum ille denegaret, Pedaritus eum, quod injuste imperium gereret, apud Lacedæmonios accusavit[119]) (Thuc. VIII, 38). Quam ob causam brevi post XI viri Spartani ξύμβουλοι[120]) missi sunt, qui

---

[118]) Hunc poëtam fuisse, non verisimile est. Cf. Duker ad Thuc. VIII, 38.

[119]) Multos Chios Spartam fugisse et crudelitatem Pedariti questos esse, tradidit Plutarchus (apophth. Lacæn. ed. Hutten VIII, p. 260), et matrem, his rebus cognitis, filio scripsisse: Ἁ μάτηρ Παιδαρίτῳ· ἢ βελτίονα πράσσειν σε ἢ αὖθι μένε, ἀπογνοὺς τὰν ἐς Σπάρταν σωτηρίαν.

[120]) De his ξυμβούλοις cf. Krüger I. l. p. 280 (a Goellero ad h. Thucydidis locum cit).

Astyocho, si ita sibi videretur, imperium navale abrogarent. Quod quo minus statim perficerent, metu Atheniensium, qui ad Samum erant, prohibiti sunt (Thuc. VIII, 39). Astyochum cunctantem nihilominus Chii et Pedaritus, legationibus missis, precibus obtundebant, ut sibi, dum fieri posset, omnibus navibus auxilio veniret, neve maximam Joniæ urbem sociam et mari excludi et terra devastari pateretur. Nam quum Chiis plurimi essent servi, et ob eam ipsam causam a dominis asperius tractarentur, plerique eorum, firmatis jam in Chio Atheniensium rebus, ad eos transfugiebant, qui quum regionum bene gnari essent, Chios maximis detrimentis afficiebant. Instantibus igitur Chiis Astyochus, quum idem socios studiosissime cupere videret, etsi minatus erat, se illis opem non laturum esse, tamen mutato jam animo auxilium ferre parabat (Th. VIII, 40). Sed dum hæc parantur, nuntius ad Astyochum pervenit, Lacedæmoniorum naves XXVII et ξυμβούλους jam ad Cannum esse, quo propter metum Atheniensium cursum direxerat classis illa (Thuc. VIII, 39 extr.). Astyochus nihil prius faciendum existimans, quam ut eos conveniret, omissa in Chium expeditione Caunum navigavit (Thuc. VIII, 41). Hac mora Chii quum in extremum deducti essent discrimen, Lacedæmonium Xenophantidam Pedaritus Rhodum (quam Lacedæmonii illo tempore tenebant, Th. VIII, 44) misit, qui Atheniensium murum, quo urbem Chium circumdarent, jam esse confectum nuntiaret, ac de Chiis actum esse, nisi omnibus navibus Lacedæmonii succurrerent. Inter hæc autem Pedaritus cum toto exercitu et mercenariorum militum et Chiorum impetum in munitiones Atheniensium, quibus naves sæpserant, dedit, et primo quidem nonnullis navibus subductis potitus est; deinde quum Athenienses occursarent, et Chii fugati sunt et Pedaritus cum maxima parte exercitus interfectus est, multa arma capta (Th. VIII, 55). His rebus ita gestis, graviore etiam Chii quam antea obsidione terra marique pressi sunt et fames fuit vehementissima (Th. VIII, 56). [121])

Denique exeunte hieme Lacedæmonii, ut Chiis afflictis auxilium ferrent, cum omnibus navibus Rhodo progressi, Miletum pervenerunt; sed facile intellexerunt, nisi proelio navali superiores facti essent, fieri

[121]) Huc pertinere locum Plinii XVI, 6: "Dulcissima omnium (glans) fagi, ut qua obsessos etiam homines durasse in oppido Chio tradat Cornelius Alexander", verisimilis est suspicio Krarupii, V. D.

non posse ut Chiis succurreretur (Thuc. VIII, 60). Incipiente vere, quum adhuc hæsitaret Astyochus quomodo Chiis opem ferret, obsidionis asperitate pressi Chii proelium navale committere coacti sunt. Eis tum præerat Leon quidam Spartanus, quem Chii, interfecto Pedarito, ut dux sibi esset, Mileto arcessiverant et una XII naves socias, ad Miletum præsidii causa relictas. Eruptione igitur totis viribus facta, occupatoque loco quodam natura bene munito, quum simul naves XXXVI contra XXXII Atheniensium eduxissent, navale proelium vehementissimum factum est; in quo quum inferiores non fuissent Chii et socii eorum, advesperascente jam die, in urbem se receperunt (Th. VIII, 61). Quum Lacedæmonii Dercylida duce brevi post Abydum et Lampsacum ab Atheniensibus abalienassent, hac re commotus Strombichides cum navibus XXIV Chium reliquit, et capta Lampsaco, contra Abydum impetum frustra convertit (Thuc. VIII, 62). Digresso Strombichide, Chii magis imperio maris potiti sunt.

§ 17. Astyochus igitur, quum de illo proelio certior factus esset [122]) et Strombichidem abisse, animo recuperato, duabus navibus Chium navigat et adsumptis quæ illic erant naves [123]), in Samum cum omnibus navibus contendit. Sed quum hostes, quod sibi invicem diffi-

---

[122]) Recte Poppo restituit veterem interpunctionem, ut verba: *οἱ ἐν Μιλήτῳ*, cum verbis: *καὶ ὁ Ἀστύοχος*, conjungerentur; nam apertum est, Thucydidem dicere non potuisse, Peloponnesios (ɔ: *τοὺς ἐν Μιλήτῳ*) maris imperio magis potitos esse, quum subjiciat, Astyochum (ɔ: Peloponnesiorum nauarchum!) cognito illius proelii eventu animos recepisse. Præpostere sane locutus esset Thucydides, si ista sensisset. Cf. Krüger (l. l. p. 301, n. 66), qui quum dixisset, Peloponnesios *θαλασσοκρατεῖν* dici non potuisse (debebat dicere Peloponnesios *μᾶλλον θαλασσοκρατεῖν* dici satis commode non posse; quanquam in hoc quidem hærendum non erat), Goeller (ad h. c.) illa sententia refutata rem confectam esse putavit.

[123]) Ex verbis Thucydidis (*αὐτόθεν τὰς ναῦς*) non satis luculenter perspicitur, fuerintne Chiæ naves in illo numero necne. Non omnes suas naves, sed pro rata parte Chios dedisse, certum est. Nam quod Krüger l. l. p. 303 dicit, Chios nondum suis navibus carere potuisse, hoc quidem est optare, non d... re. Nam quum nemo hostis, qui quidem timendus esset, in illis locis esset (Strombichides enim ad Sestum versabatur (Thuc. VIII, 62 extr.), et præsidium Delphinii nihil tum valuisse apertum est), curni eis carere potuerunt? et potuerunt! nam in proelio ad Sestum octo naves Chiorum, quæ in classe erant Lacedæmoniorum, ab Atheniensibus captæ sunt (Thuc. VIII, 106, Diod. Sic. XIII, 40).

derent (popularis enim status brevi ante Athenis sublatus erat[124]), illi obviam procedere non auderent, Miletum revertitur (Th. VIII, 63).

Mindarus, qui Astyocho nauarchus successerat (Th. VIII, 85), quum in Hellespontum ire constituisset, media fere æstate ad Chium appulit (Th. VIII, 99, Diod. Sic. XIII, 38). Ibi biduo commeatu naves instruxit, quumque singuli ternas *quadragesimas* Chias[125]) accepissent, tertio die inde solvit (Thuc. VIII, 101).

Chios in proelio ad Sestum commisso Lacedæmoniis adfuisse, supra monuimus (ann. 123). — De rebus post illud proelium hoc bello gestis Chiorum, pauca hæc tradita sunt.

Olymp. XCII, 4 (a. CDIX a. Chr. n.) Lacedæmonii Cratesippidam nauarchum sociis subvenire jusserunt. Is nulla re memorabili gesta aliquamdiu ad Joniam moratus, quum a Chiis quibusdam patria expulsis pecuniam cepisset, illos reduxit, et arce Chiorum potitus est. Optimates illos Chios fuisse, jam inde perspicuum est, quod a Lacedæmoniis in patriam restituti sunt. Verisimile est, popularem factionem, quæ in Chio nunquam prorsus quievit, post proelium ad Sestum commissum adversariorum viribus fractis evicisse, ut illos ejiceret. Itaque optimates illi a Cratesippida restituti, adversarios numero fere DC expulerunt; qui quum Atarneum optime natura munitum occupassent, adversarios Chium tenentes bello deinde lacessebant.[126]) (Diod. Sic. XIII, 65). Atarneum illi tenuerunt, donec Dercylidas Laco inde eos depulit (a. CCCIIC, a. Chr. n.). Qui quum Chios illos Joniam populantes victum quærere et plurimum illis frumentum illo modo adesse animadverteret, urbem bene munitam obsidione clausam post octo menses ad

---

[124]) Cf. Poppo annot. crit. ad Th. VIII, 63.

[125]) Schol. Thuc. *ἀρχαῖα νομίσματα ἐπιχώρια* fuisse explicat. Cf. Duker ad h. l. Thucydidis. In re obscura fortasse licebit conjicere, illum numum fuisse quadragesimam partem minæ, sive $2\frac{1}{2}$ drachmas Attic. valuisse.

[126]) Xenoph. Hell. I. 1. 32 Cratesippidam imperium ad Chium collectarum navium sociarum accepisse, tantum tradidit. — Huc fortasse referendus est locus Aristotelis Polit. V, 3, 11, Schneid. p. 192: *καὶ Ἀντισσαῖοι τοὺς Χίων φυγάδας εἰσδεξάμενοι διὰ μάχης ἐξέβαλον.* Si Antissa, id quod verisimile est (cf. Plehn, Lesb. p. 71 seq.), illo tempore in diciono fuit Atheniensium, fieri certe potuit, ut sexcenti illi factionis popularis, quum Antissam confugissent, primo ab Antissæis in civitatem reciperentur, deinde seditione orta ejecti Atarneum e regione Lesbi jacentem occuparent. Sic fere Schlosser Vers. Germ. Arist. l. l. p. 150.

deditionem compulit (Xenophont. Hell. III, 2, § 11). In Cratesippidæ locum Lysander nauarchus successit. Illo nauarcho (a. CDVII, a. Chr. n.) Atheniensibus Delphinium tandem ereptum esse non multo post proelium ad Notium pugnatum, auctor est Xenophon (l. l. I, 5, 15). Diodorus autem Siculus (XIII, 76) rem ad Callicratidæ imperium relatam ita exposuit: quum Callicratidas Athenienses, Delphinium adhuc tenentes, obsidione claudere coepisset, Athenienses numero fere quingenti magnitudinem virium hostium timentes sponsione facta Delphinium reliquerunt; Callicratidas munimenta diruit. Idem Diodorus (XIII, 70), Lysandrum cum a ceteris urbibus sociis, tum a Chiis naves accepisse, tradit; contra Xenophon (1, 6, 3), Callicratidæ præter naves a Lysandro traditas etiam a Chiis, Rhodiis, aliis sociis L naves armatas esse, auctor est; jam apparere puto, Diodorum res Lysandri et Callicratidæ solita negligentia commutasse.

Postea Callicratidas, a Chiis accepta pecunia, quinas drachmas nautis distribuit (Xenoph. 1, 6, 12).

Proelio ad Arginusas superatorum Lacedæmoniorum alii Chium, alii Phocæam (vel Cymen) effugerunt (Xenoph. l. l. I, 6, 34; Diod. Sic. XIII, 99, extr.). Eteonicus, dux Lacedæmoniorum, qui tum Mytilenen circumsedebat, hac clade comperta, et navigia, quibus res suas imposuisset, et triremes Chium abire jussit, ipse cum pedestri exercitu Methymnam discessit (Xenoph. Hell. 1, 6, 38; Polyæn 1, 44; Diod. Sic. XIII, 100). Milites autem Lacedæmonii, qui Eteonico duce in Chio erant (quando ipse cum ceteris copiis venerit, non traditur), quamdiu erat æstas, facile vitam sustentabant, quum præsertim mercede conducti opera facerent. Sed postquam hiems esse coepit, quum neque victum haberent et omnibus rebus inopes essent, conjuratione facta Chii occupandæ consilium inierunt. Constituerunt igitur, ut omnes, quibus illa placerent, calamos quasi tesseram quandam gestarent. Quod quum Eteonicus cognovisset, propter multitudinem eorum, qui calamos gerebant, dubius hæsit, quid faceret; nam et periculosum ei videbatur aperte eos adoriri, et foedum, socios deripi et perdi; simul ne ob eam rem apud ceteros socios invidia premeretur, neve milites sibi dicto audientes non essent, verebatur. Itaque hoc modo rem aggressus est. Quindecim armatis comitibus per urbem ingrediens, quum in quendam hominem, qui calamum gerebat, incidisset, eum interfecit. Concursu facto, quibusdam interrogantibus, quam ob causam homo interfectus

esset, Eteonicus respondit, quod calamum gestasset. Qua re audita, quicunque calamos gestabant metu perculsi abjecerunt. Tum Eteonicus Chios convocatos pecunias conferre jussit, ut nautæ stipendiis acceptis ne res novas molirentur. Illi contulerunt. Simul milites naves conscendere jussi sunt. Nihil se scire simulans stipendium menstruum cuique distribuit (Xenoph. l. l. II, 1, § 1-6).

His rebus ita compositis Chii cæterique socii, qui Ephesum convenerant, legatos Spartam miserunt, qui ut Lysander dux sibi mitteretur rogarent; legatos, idem postulantes, decem una Cyrus misit. Lacedæmonii Lysandrum *ἐπιστολέα*, Aracum *ναύαρχον* illis dederunt; quum eundem bis nauarchum facere lege vetarentur; summa tamen imperii navium Lysandro permissa est! (Xenoph. l. l. § 6 seq. Plut. Lysand. VII; Diod. Sic. XIII, 100). Is sequentis anni initio Ephesum quum venisset, Eteonicum Chio cum navibus ad se venire jussit (Xenoph. l. l. § 9 seq.).

Chios socios in pugna ad Ægos flumen Lysandro operam navasse, auctor est Pausanias.[127]) Præsidium tamen Lacedæmoniorum cum harmosta in Chio permansit et crudeliter imperium exercuisse videtur (Isocrates de pace p. 200, § 97 seq. ed. Bekker.[128]) Cf. Diod. Sic. XIV, 13 (et 10); Xenoph. Hell. VI, 3, 8).

---

[127]) Paus. X, 9, 5: (Inter donaria Lacedæmoniorum, quæ Delphis erant) *ἀνάκεινται δὲ καὶ ὅσοι συγκατειργάσαντο τῷ Λυσάνδρῳ τὰ ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ἢ αὐτῶν Σπαρτιατῶν, ἢ ἀπὸ τῶν συμμαχησάντων. εἰσὶ δὲ οἵδε· — Χῖοι δὲ Κηφισοκλῆς καὶ Ἑρμόφαντός τε καὶ Ἱκέσιος.*

[128]) Verba Isocratis hæc sunt: *Χίων προθυμότατα πάντων τῶν συμμάχων τῷ ναυτικῷ συγκινδυνευσάντων (εἰς τὸν πρὸς ὑμᾶς πόλεμον) — οὐκ ἔφθασαν τὴν ἀρχὴν κατασχόντες (οἱ Λακεδαιμόνιοι), καὶ Θηβαίοις μὲν εὐθὺς ἐπεβούλευσαν, ἐπὶ δὲ τὸν βασιλέα Κλέαρχον καὶ στρατιὰν ἀνέπεμψαν, Χίων δὲ τοὺς μὲν πρώτους τῶν πολιτῶν ἐφυγάδευσαν, τὰς δὲ τριήρεις ἐκ τῶν νεωρίων ἐξελκύσαντες ἁπάσας ᾤχοντο λαβόντες.* Sed quo tempore hæc facta sint, non plane perspicitur. Comprehendit enim orator, ut §§ sequentes ostendunt, totum illud temporis spatium, quod inter proelium ad Ægos flumen commissum et cladem Leuctricam intercessit. Quod dicitur *εὐθύς*, tenendum est, non necesse esse, ut illud verbum etiam ad injurias Chiis illatas referatur, neque in *oratore* talia verba nimis premenda esse, quum præsertim orator hoc ipso loco operam dedisse non videatur, ut accuratam rerum gestarum seriem exponeret. Quo magis miror temeritatem Schneideri V. D. qui ad Xenoph. Hell. III. 2, 11, p. 139 ex hoc loco Isocratis tempus accuratius constitui posse putaverit.

§ 18. Itaque victis ad Gnidum Lacedæmoniis, Chii præsidio Spartanorum ejecto ad Cononis et sociorum ejus partes accesserunt (Diod. Sic. XIV, 84; cf. Xenoph. l. l. IV, 8, 1) et hoc bello (quod Corinthium vulgo dicitur) Atheniensibus socii fideles fuerunt (Isocr. Plataic. p. 338 § 27 seq.). Thrasybulo, Atheniensium duci, quum adversus Rhodum proficisceretur (a. CCCXCII a. Chr.) naves dederunt (Diod. Sic. XIV, 94).

Antalcidea pace illo bello composito Lacedæmonii superiores facti arbitri et domini totius Græciæ exstiterunt, neque libertatem ex pace promissam civitatibus concesserunt. Itaque quum Lacedæmonii ad Thebas male rem gessissent, multi socii propter crudelitatem imperii desciverunt[129]). Inter quos primi Chii et Byzantii, deinde Rhodii et Mytilenæi, multæ denique aliæ civitates ab Atheniensibus concitatæ foedus inter se fecerunt c. a. CCCLXXVI a. Chr. n.[130])

Erant omnino civitates LXXV (Æschines de falsa leg. p. 337 ed. Bekker; Diodorus LXX habet) illius foederis participes. Constitutus est communis senatus (συνέδριον) omnium sociorum, ad quem singulæ civitates suos quæque senatores (συνέδρους) mitterent. Omnium consensu decretum est, ut Athenis senatus haberetur, omnes civitates, sive magnæ essent sive parvæ, æquo jure singulorum suffragiorum compotes essent, omnes liberæ (αὐτόνομοι) Atheniensibus ducibus uterentur. Lacedæmonii quum hæc agi viderent, legationibus et maximis pollicitationibus abalienatos a se hominum animos sibi reconciliare studebant; neque tamen iccirco minore studio bellum parabant, quod grave et diuturnum Boeotium bellum fore putarent, quum Athenienses ceterique Græci, qui illius foederis participes essent, Thebanorum iidem socii essent (Diodor. Sic. XV, 28). Mox Artaxerxe auctore bellum inter Lacedæmonios et adversarios illorum Thebanis exceptis componitur (Diodor. Sic. XV, 38); neque tamen illa pax diuturna fuit (Diod. Sic. XV, 45).

Quum Epaminondæ et Thebanis res feliciter procederent, Epaminondas Thebanis persvasit, ut maris imperium affectarent. Itaque popu-

---

[129]) Cf. de his rebus Wachsmuth l. l. I, 2, p. 287 seqq. et de *defectionis* nomine p. 287 not. 26; Hermann l. l. § 41.

[130]) Diod. XV, 28. De hoc foedere cf. Boeckh Staatshaushalt der Athen. I, p. 416 seqq. Hermann griech. Staatsalterth. § 170, not. 8.

lus decrevit, ut C naves ædificarentur, utque Rhodii, Chii, Byzantii ad suum auxilium sollicitarentur. Quo ex decreto Epaminondas emissus urbes illas, quas nominavimus, Thebanis conciliasse traditur (a. CCCLXIV a. Chr.) (Diod. Sic. XV, 79).

§ 19. Post proelium ad Mantineam pugnatum res Græcorum accisæ tranquillitatem ex infirmitate natam pepererunt. Itaque quanquam Athenienses principatum quendam adhuc tenere videbantur et sociis ut antea præerant, vires tamen eorum quoque admodum debilitatæ erant. Jam illo foedere, quod cum Epaminonda initum esse supra vidimus, Chii, Rhodii, Byzantii imperio Atheniensium se subtrahere conati esse videntur. Quod servitutis jugum quum Athenienses, Epaminondæ morte et Pelopidæ diminutis Thebanorum opibus, illis denuo imponere studerent, bellum sociale, quod per triennium gestum est, exarsit, auctore imprimis Maussolo Cariæ rege, qui socios, quos nominavimus, ut libertatem tuerentur, impellebat; revera ut fractis viribus et Atheniensium et sociorum, suas ipse opes augeret, sociisque libertatem eriperet. Quod et ipse in Rhodiis quidem tentavit, in ceteris posthac tentasse certe videtur Idriens, frater et successor Artemisiæ, uxoris Maussoli (Demosth. de lib. Rhod. Reiske I, p. 191, de pace I, p. 63. Cf. argum. orat. de lib. Rhod. Libanii).

Itaque quum Chii, Rhodii, Coi, Byzantii ab Atheniensibus defecissent, Chares et Chabrias, duces Atheniensium cum LX navium classe contra eos missi sunt. Qui quum primum contra Chium navigassent, auxilia et a Byzantiis et a Rhodiis et a Cois et a Maussolo, Cariæ domino, missa quæ Chiis adessent, ibi offenderunt. Dispositis copiis urbem terra marique intercludere parant Athenienses. Chares, peditatui præfectus, muros succedit, et cum Chiis ex urbe erumpentibus depugnat; Chabrias in portum invectus atrox proelium navale committit, sed navi rostris perfossa laborat. Ceteri navium duces periculo cedentes incolumes evadunt; ille vero honestam mortem turpi fugæ anteponens, dum fortissime pugnat, telo transfixus moritur. [131]) Neque illo

[131]) Diod. Sic. XVI, 7, cf. c. 21. Cornelius Nepos (Chabr. c. IV) tamen narrat, fuisse Chabriam in classe privatum, sed omnes, qui in magistratu essent, auctoritate anteisse, eumque magis milites, quam qui præessent, adspexisse. — Demostheaes (Leptin. p. 481, ed. Reiske) tradit, inter Chabriam et Chios ante illud bellum officiorum quorumdam conjunctionem interfuisse, Chiosque Chabriæ dona quædam dedisse neque tamen ob illud bellum eripuisse. Quæ res nobis ceterum plane incomperta est.

anno quicquam effecisse videtur Chares, et de altero hujus belli anno prorsus siletur [132]).

Tertio igitur anno belli, quum navali proelio totius belli discrimen experiri utrisque placuisset, ingentes belli apparatus facti sunt. Athenienses ad LX illas naves, quas Charete duce missas esse diximus, alteras totidem miserunt, præstantissimis civibus prætoribus datis Iphicrate et Timotheo, qui cum Charete socios rebellantes bello persequerentur. [133]) Chii et Rhodii et Byzantii una cum sociis, centum navibus armatis, quum Imbrum et Lemnum, quæ Atheniensium erant, devastassent, adversus Samum magno apparatu profecti insulam hostiliter invaserunt et urbem terra marique oppugnaruut. Multas alias deinceps insulas, quæ in dicione erant Atheniensium, populantes opes ad belli usus necessarias comparabant. Sed quum prætores Atheniensium ad Byzantium obsidendum se convertissent, Chii et socii eorum, obsidione Sami omissa, ad Byzantium tutandum profecti sunt; et omnes utrorumque copiæ ad Hellespontum confluxerunt. Ibi quum proelium inituri essent, vehemens venti impetus rem præpediebat. Chares quum vel contra naturam pugnare cuperet, refragantibus propter vim tempestatis Iphicrate et Timotheo, pugna quidem abstinuit, sed milites testatus collegas proditionis accusavit, et per litteras apud populum criminatus est, eos de industria proelium dereliquisse. Qua criminatione exacerbati Athenienses Iphicratem et Timotheum imperio removerunt (Diod. Sic. XVI, 21). [134])

---

[132]) Nisi quod sociale bellum Agathocle et Elpino archontibus præcipue gestum esse, auctor est Dionysius de Lysia, p. 480 ed. Reiske.

[133]) De numero imperatorum illi expeditioni præpositorum cf. Clinton fast. Hell. ed. Krüger. p. 136.

[134]) Utrumque magna pecunia multatum esse Diodorus l. l. tradidit; sed Timotheum solum centum talentis multatum esse, quod a Chiis et Rhodiis pecunias eum sumpsisse criminaretur Aristophon quidam, gravissimus est testis Dinarch. contra Demosth. p. 150 et contra Philocl. p. 190, ed. Bekker; cf. Cornel. Nep. Iphicr. c. III. Isocrates *περὶ ἀντιδόσεως* p. 375 § 129 ed. Bekker. Cornelius Nepos (Timoth. c. III) hæc ad Samum gesta esse tradidit; sed cf. Panofka de reb. Sam. p. 77. Polyænus (III, 9, 29) rem ad *τὰ Ἔμβατα* factam esse auctor est. Commemoravimus (p. 8, annot. 31) *τὸ Ἔμβατον τῆς Ἐρυθραίας*. Nihil obstat, quo minus illa nomina plurium locorum communia fuisse credamus. E tali nomine nihil certe concludere licet.

Tali modo Chares summum imperium solus nactus, quum Athenienses sumptibus levare vellet, rem aggressus est temerariam. Nam quum Artabazus a rege descivisset, Chares foedere facto cum illo regias copias fudit, et mercedis loco tantam pecuniam accepit, ex qua sumptus in stipendia totius exercitus erogari possent. Quod Charetis factum primo quidem Athenienses comprobaverunt; sed mox quum rex legatis missis Charetem accusasset, sententiam mutaverunt. Erat enim fama, regem hostibus Atheniensium trecentas naves contra ipsos pollicitum esse. Hoc metu commoti pacem cum sociis componere constituerunt. A qua quum ne illi quidem abhorrerent, pax facile convenit (Diod. Sic. XVI, 22). Socii libertatem, pro qua pugnaverant, adepti sunt. (Quod hortatus est Isocrat. de pace p. 181 § 16; cf. Dionys. de Isocrate jud. p. 565, 9, ed. Reiske). [135]

Jam illo tempore paucorum potentiæ permissam fuisse rem publicam Chiorum, verisimile est. Quo quidem tempore (a. CCCLI a. Chr. n.) Demosthenes de liberandis Rhodiis orationem habuit, certe paucorum dominatus obtinuit (Demost. orat. l. p. 196 ed. Reiske; cf. Plehn, Lesb. p. 76). Brevi post (c. a. CCCXLVI) Idrieum Carum dominum libertati Chiorum insidiatum esse, Demosthenes (de pace p. 63) auctor est.

Quum Philippus ille rex Macedonum Byzantium obsideret, Athenienses pacem ab eo violatam esse rati, Byzantiis auxilio ingentes copias miserunt; etiam Chii, Coi, Rhodii alii Græcorum ad Byzantios tuendos succurrerunt (a. CCCXL; Diod. XVI, 77). Illud ex foedere inter illas civitates icto factum esse puto; quod ad foedus feriendum Athenienses hortatus est Demosthenes (Philipp. III, p. 129). Quo Græcorum concursu motum Philippum obsidione sublata cum Atheniensibus ceterisque Græcis adversariis pacem fecisse, narrat Diodorus Siculus (XVI, 77) (Sed cf. Wesseling ad Diod. l. l.).

---

[135]) Ad hoc bellum referendum est, quod tradidit Polyæn. III, 9, 23: Iphicratem, quum Mytilenæ esset, rumorem dissipasse, scuta oportere celeriter multa comparari, quæ servis Chiorum mitterentur; quo audito Chios servitia metuentes, e vestigio pecuniam misisse et foedus cum eo fecisse. De foedere certo nugatur Polyænus. Alterum Iphicratis dolum tradidit idem (III, 9, 58): Iphicratem suis quibusdam mandasse, ut vestitu Laconico ad Chium appellerent. Tum Chios eos, qui Lacedæmoniis faverent, illo dolo deceptos, quum in portum accurrissent, ab Atheniensibus interceptos Athenas missos esse.

Altero bello sacro Chios abstinuisse, docet Demosthenes (pro corona p. 305, Reiske).

§ 20. Quo tempore Alexander ille Magnus in Asiam trajecit, duæ factiones Chium in diversas partes distrahere conabantur. Altera popularium Alexandri rebus, altera optimatium Dario favebat. Superatis ad Granicum Persis, omnis fere Jonia Alexandro se sponte dedit (Plut. Alex. c. XVII). Sine dubio etiam Chius. Nam ex Arriani l. III, 2 § 6 perspicuum est, Chium prius in potestate fuisse Alexandri, quam a Memnone occuparetur. Memno enim, cui Darius rex imperium totius exercitus navalis et oræ maritimæ tradidit, ut bellum in Macedoniam et Græciam averteret, magna pecunia instructus, collectis mercenariis militibus plurimis, trecentis navibus armatis strenuissime bellum persecutus est. Chium quidem proditione [136]) traditam occupat (Arrian. exp. Alex. II, init. Diod. Sic. XVII, 29 et 31).

Sed quum brevi post in Lesbo mortuus esset, Autophradates et Pharnabazus, qui in ejus locum successerant (Arrian II, 1, 5), præsidio in Chio relicto, alio se converterunt (Arrian. II, 13, 4; Curt. IV, 1, 37). Nondum audita morte Memnonis, Alexander, ut a tergo tutus esset, Amphoterum classi ad oram Hellesponti, copiis præfecerat Hegelochum, qui Lesbum et Chium et Con præsidiis hostium liberarent (Curt. III, 1, 19). Quum ad Issum Alexander iterum Persarum copias fudisset, Pharnabazus hac clade cognita, ne quid a Chiis novaretur, metuens, XII triremibus, MD militibus mercenariis Chium revertitur (Arrian. II, 13, 6). Neque is metus vanus fuit. Jam enim Hegelochus et Amphoterus Chium ultro vocantibus incolis occupare parabant; sed Pharnabazus comprehensis, qui res ad Macedones trahe-

[136]) Hujus proditionis principes fuerunt Apollonides, Phesinus, Megareus, Athenagoras, alii (Arrian. III, 2, 6, Curt. IV, 5). — Apud Arrianum *Φισινός* editur; sed *Φησινος* habent duo numi Chii (quos infra descripsimus) et inscriptiones duæ (Boeckh Corp. inscr. Gr. n. 407 et 2242); altera tamen *ΦΗΣΙΝΟΣ*, sed ea e tempore Romanorum; inde *Φησῖνος* scribendum esse suspicor; Jota in nominibus propriis similibus (v. c. *Χαρμῖνος* circumflexum habet. Cf. Boeckh l. l. II, p. 210; qui mire ingenii lusibus indulsisse videtur, quum sine ulla causa suspicetur, *Phesinum illum* (inscr. n. 407 nominatum) *esse asseclam* (immo hostem!) *Alexandri*; deinde ut nominis etymum explicet, ad rem incredibilem confugiat, e fluvio *Phaside* nomen Chium antiquum (cf. numus n. 30) derivatum esse statuens.

bant, rursus Apollonidi et Athenagoræ, suarum partium viris, urbem cum modico præsidio militum tradit.

Præfecti Alexandri in obsidione urbis perseverabant, non tam suis viribus quam ipsorum qui obsidebantur voluntate freti. Neque eos spes fefellit. Namque inter Apollonidem et duces militum orta seditio irrumpendi in urbem occasionem dedit. Quumque porta effracta Macedones intrassent, oppidani Amphotero et Hegelocho se aggregant; Persarumque præsidio cæso, Pharnabazus et Apollonides et Athenagoras vincti traduntur. Duodecim illæ triremes cum suo remige et milite, tum triginta aliæ inanes et piratici lembi, Græcorumque tria milia, a Persis conducta, capta sunt. Forte Aristonicus Methymnæorum tyrannus cum piraticis navigiis quinque, ignarus quæ acta essent, prima vigilia ad portus claustra successit; quumque falsis custodum verbis deceptus in portum intrare non dubitasset, objecto a vigilibus claustro et ipse et lembi piratici capiuntur. Vincti omnes Amphotero Hegelochoque traduntur (Curt. IV, 5, 14 seqq. Arrian. III, 2, 4-6). Ceteri quidem captivi, Aristonicus, Apollonides, Phesinus, Megareus, alii, ad Alexandrum, qui tum in Alexandria condenda occupatus erat, ab Hegelocho abducti sunt; Pharnabazus autem custodes fallens Con clam effugit. Apollonidem ceterosque Chios cum diligenti præsidio Elephantinen misit Alexander (Arrian. III, 2, § 4, 6, 8 seq).

Præsidium Macedonicum impositum acerbe in Chios consuluisse videtur. Itaque et Chii de præsidio questi sunt, missis ad Alexandrum, quum ex Ægypto in Syriam revertisset (Memphim Arrian. III, 5, 1, cf. Freinsh. ad Curt. IV, 8, 12), legatis, et Theopompus Chius, nobilissimus historicus, litteris ad Alexandrum datis, de injuriis, quæ Chiis ab Harpalo illo Macedone illatæ essent, questus est [137]. Neque legatos frustra Alexandrum convenisse, docent Curtius (IV, 8, 12) et Arrianus (III, 5, 1). Sic illo tempore in Alexandri potestate mansit Chius. Populo summam ab Alexandro traditam esse imperii, jam per se virisimile est et indicat oratio Æschinis contra Ctesiph. p. 393 ed. Bekker, a. CCCXXX a. Chr. n. habita.

§ 21. Mortuo Alexandro, quum duces singuli singula regna constituerent, cui paruerit, an libera fuerit Chius, non traditur. Mihi

[137]) Athen. XIII, p. 595 A; cf. Schweighäuseri animadv. in Athen. VII, p. 161. Acrem etiam adversarium fuisse Theocritum Chium sophistam et Theopompo et Alexandro, res nota est. Cf. Strab. XIV, p. 645, Athen IV, p. 230 F.

quidem verisimile videtur, Chium aliquamdiu certe Syrorum regno addictam fuisse. Quam suspicionem confirmare videtur nummus quidam Chius, regis Antiochi nomine signatus, nisi forte ad Antiochum illum Magnum ille nummus referendus est. Quem quum Florus (II, 8, 8) ingenti tumultu ex Asia movisse et statim insulis Græciæque litoribus potitum esse scribat, fieri potest, ut illa expeditione Antiochus Chio libertatem brevi eripuerit. Nam ante ejus imperium certe Chii veteres opes, pristinamque auctoritatem recuperaverant, quum pacis inter ceteras Græciæ civitates auctores eos fuisse sæpius legamus.

Ita quum inter Philippum illum Demetrii et Ætolos bellum ortum esset gravissimum, legati a Rhodiis et Chiis ad Philippum missi sunt (a. CCXIIX a. Chr.), qui eum, ut pacem cum Ætolis faceret, hortarentur. Qui quum ad Ætolos a Philippo ablegati essent (Polyb. V, 24, 11) neque illi pacem nollent, indutiis triginta dierum factis, ut Rhium conveniretur, placuit. Philippus, indutiis quidem probatis, conventum ad Patras constituit habendum. Neque tamen illo anno quicquam confectum est (Polyb. V, 28, seq.). Itaque altero anno nova legatio a Chiis, Rhodiis, Byzantiis, Ptolemæo IV ad Philippum venit. Philippus iterum ad Ætolos legatos amandavit; nihil se paci adversaturum, dixit. Tum pax inita est (Polyb. V, 100, 9).

Quum inter Philippum et Ætolos bellum denuo exarsisset, legati a Chiis, aliisque civitatibus bis pacem componere studuerunt (a. CCIIX a. Chr. n.), quum Ætoli illas urbes, ut pacis interpretes essent, provocassent (Appian. exc. XX de legat. Schweigh. Vol. I, p. 506). Illos legatos (in quibus ab Appiano nonnihil dissentit Livius XXVII, 30) primum Phalaram, ad sinum Maliacum sitam, deinde indutiis triginta dierum datis, Ægium in concilium Achæorum convenisse; et, cum Ætoli Philippo victori impudenter condiciones ferre auderent, infecta pace concilium dimissum esse, auctor est Livius (l. l.). Itaque altero anno legati ab iisdem fere civitatibus convenerunt et pacem quam maxime svaserunt. Omnium legatorum nomine Rhodius legatus verba fecit; quam orationem servavit Polybius (XI, 5). Cf. Appian. l. l. (Livius XXVIII, 7 legatos Ptolemæi et Rhodiorum solos nominat). Legatos cum benigno responso Philippus dimisit (Liv. l. l).

[136]) Ad hunc annum illam orationem referendam esse, inde perspicuum est, quod Hannibal viribus fractis in extremum Italiæ angulum, Lacinium, concessisse traditur. Cf. Liv. XXVII, 51 extr. Appian. l. VII, c. 54.

In bello, quod cum Rhodiis et Attalo gessit Philippus, Chiorum amicitia usi sunt Rhodii. Itaque post proelium navale ad Chium commissum, Rhodiorum naves in portu Chiorum stationem habuerunt (Polyb. XVI, 2, seq.) Ob id ipsum Philippus iratus Chii occupandæ consilium cepisse videtur. Quin etiam Chium a Philippo expugnatam esse, ad annum CC a. Chr. n. tradit Appianus (Exc. de legat. XXI, p. 508 Schweigh.). Sed illi adversatur Plutarchus (de virt. mul. c. III, Hutten VIII, p. 268 seqq.), virtute mulierum et fide servorum factum esse enarrans, ut Philippus a Chii moenibus depelleretur.

Fieri potuisse, ut Antiochus ille Magnus Chio per breve aliquod tempus potiretur, supra (p. 57) monuimus. Sed in bello, quod cum Antiocho fuit, Romanis Chius utilissima fuit et fidelissima. *Chius erat horreum Romanis, eoque omnes ex Italia missæ onerariæ dirigebant cursum* (Liv. XXXVII, 27; cf. id. XXXVI, 43, 45; XXXVII, 14, 31; Appian. Syr. c. XXII). Post proelium ad Myonnesum quassatæ Romanorum naves in Chio reficiuntur. Itaque bello Romanis feliciter finito Chii præmiis ornati sunt. *Chios quoque et Smyrnæos et Erythræos pro singulari fide, quam eo bello præstiterunt, et agro donarunt et in omni præcipuo honore habuerunt Romani* (Liv. XXXVIII, 39; Polyb. XXII, 27 § 6). Is ager ubi fuerit, non traditur.

In bello, quod cum Perseo fuit Eumeni et Romanis, quum præfecti quidam Eumenis inter Erythrarum promontorium Chiumque, qua artissimum est fretum, a Macedonibus subito oppressi essent, et propter navium genus inhabile resistendi nulla spes esset, alii Erythras effugerunt, alii ejectis ad Chium navibus effusa fuga urbem petebant. Sed Macedones, qui propius urbi armatus exposuerant, partim in via fugientes hostes adepti ceciderunt, partim ante urbem exclusos. Clauserant enim Chii portam, ignari qui fugerent aut persequerentur. Triduum fere classis Macedonum ad urbem stetit. Phanas tum progressi sunt; inde evecti Delum trajiciunt (a. CLXIIX a. Chr. n. Liv. XLIV, 28).

§ 22. Per longum temporis spatium de rebus Chiorum nihil traditum est, nisi quod amicitiam cum re publica Romana jam inde a bello cum Antiocho susceptam magis etiam confirmatam esse, multosque Romanos in Chio consedisse apparet. Sed initio belli Mithridatici, in proelio navali, quo a Rhodiis devictus est Mithridates ejus socii fuerunt Chii coacti (quod quomodo factum sit, non traditur); imprudentia autem

unius gubernatoris Chii, qui inter trepidationem navem suam regiæ impegerat, factum est, ut omnes Chii in odium regis incurrerent (Appian. Mithr. c. 25, Schweigh. p. 677). Gravissima tamen illius odii causa fuisse videtur, quod Mithridates non sine causa suspicabatur, Chios Romanorum studiosos esse; etenim multi ad Sullam confugerant. Itaque Mithridates primum illorum bona publicavit; deinde misit, qui in possessiones, quas Romani in Chio haberent, inquirerent. Denique (a. LXXXVI a. Chr. n.) Zenobius, prætor Mithridatis exercitum in Græciam ducere se simulans, quum moenia Chiorum et si qua erant alia loca munita, nocte occupasset, præsidio ad portas posito, edixit, ut peregrini quidem sine cura essent, Chii autem in concilium convenirent; se illis aliquid nomine regis dicturum. Qui postquam convenerunt, arma tradere et liberos optimatium obsidum loco dare jussi sunt. Necessitate coacti paruerant. Erythras hæc Zenobius misit (Appian. l. l. c. 46). Jam vero non ita multo post litteræ ipsius regis ad Chios perferuntur. Questus est rex, Chios adhuc studiosos esse Romanorum, et multos eorum apud Romanos versari; et ex agris, quos Romani in Chio possiderent, fructus capere Chios, nec sibi inde quicquam afferre; neque oblitus est injuriæ, imprudentia gubernatoris in proelio ad Rhodum commissa sibi illatæ. Illa omnia eos publico consilio fecisse, ut regno et corpori suo insidiarentur; quæ ob crimina, etsi amici sui eos mortis supplicio afficiendos censuissent, se duobus milibus talentorum eos multare. His litteris recitatis, quum legatos ad Mithridatem mittere vellent Chii, Zenobius prohibuit. Chii armis spoliati, quum principum liberi obsides dati essent, tanta circumstante barbarorum caterva, duo milia talentorum imperata ornamentis templorum adsumptis ac mulierum conficere coacti sunt. Et hoc quidem parum fuit. Ponderi aliquid deesse criminatus Zenobius in theatrum Chios convocavit. Præsidio militum strictis gladiis theatrum et vias, quæ ad mare ferebant, obsidente Chios plurimos et viros et mulieres et pueros inter injurias ad mare abductos in naves imposuit et ad Pontum Euxinum misit (Appian. l. l. c. 47).[139]) Harum tamen navium partem, quum Heracleam prætervcheretur, Heracleotæ, quibus cum Chiis amicitia erat, interceperunt et Chios hospitaliter exceptos secum liberalissime habuerunt, donec

[139]) Quin etiam Chios ipsorum servis, ut in terram Colchorum ducerentur, traditos esse, Athenæus (VI, p. 267 inf.), Nicolaum peripateticum et Posidonium stoicum auctores laudans, narrat.

liber iis in patriam reditus pateret. [140]) Neque vero Zenobius poenas scelerum non dedit. Ab Ephesiis enim, eadem timentibus, in carcerem conjectus necatus est (Appian. l. l. c. 48). Jam bello durante Lucullus cum classe regios Chio expulit (Plut. Lucul. c. 3). Inter condiciones, quibus primum hoc bellum Mithridaticum compositum est, etiam hæc fuit, ut quos e suis civitatibus in Pontum abstraxisset Mithridates, et Chios et ceteros dimitteret (Appian. l. l. c. 55; cf. c. 58).

Hoc bello finito Sulla, quum res Asiæ ordinaret, Chios, Ilienses, Rhodios, alios, vel propter societatem belli vel ob injurias, quas propter Romanorum studium accepissent, *libertate donatos Romanorum amicos* appellavit (Appian. l. l. c. 61. Liberam fuisse civitatem Chium etiam testantur auctor orat. de harusp. resp. c. XVI § 34 et Plinius V, 38).

Ad condicionem Chii liberarumque civitatum universam intelligendam gravissimum est decretum quoddam proconsulis Asiæ, in Chio repertum (Boeckh Corp. inscr. Gr. n. 2222). Quod quum maximi momenti sit, totum quale a Boeckhio V. Cl. et aliis viris doctis probabiliter restitutum est, proponam:

Τῶν ἀντιδίκων περὶ τῶν τοῦ Σταφύλου ὑπαρχόντων πρὸς τοὺς Χείων πρέσβεις ἀναγεινωσκόντων ἐπιστολὴν Ἀντιστίου Οὐέτερος, τοῦ πρὸ ἐμοῦ ἀνθυπάτου, ἀνδρὸς ἐπιφανεστάτου, κατακολουθῶν τῇ καθολικῇ μου προθέσει τοῦ ἐπαινεῖν (?) τὰ ὑπὸ τῶν πρὸ ἐμοῦ ἀνθυπάτων γραφέντα, φυλάττειν καὶ τὴν ὑπὲρ τούτων φερομένην ἐπιστόλην Οὐέτερος εὔλογον ἡγησάμην· ὕστερον δὲ ἑκατέρου μέρους ἐξ ἀντικαταστάσεως περὶ τῶν κατὰ μέρος ζητημάτων ἐντυχόντος διήκουσα καῒ κατὰ τὴν ἐμὴν συνήθειαν παρ' ἑκατέρου μέρους ἐπιμελίστερα γεγραμμένα ᾔτησα ὑπομνήματα· ἃ λαβὼν καὶ κατὰ τὸ ἐπιβάλλον ἐπιστήσας εὗρον, τοῖς μὲν χρόνοις ἀρχαιοτάτου δόγματος συγκλήτου ἀντισφράγισμα, γεγονότος Λουκίῳ Σύλλᾳ τὸ δεύτερον ὑπάτῳ, ἐν ᾧ μαρτυρηθεῖσι τοῖς Χείοις, ὅσα ὑπὲρ Ῥωμαίων διέθηκάν τε Μιθριδάτην ἀνδραγαθοῦντες καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἔπαθον, ἡ σύγκλητος εἰδικῶς ἐβεβαίωσεν, ὅπως νόμοις τε καὶ ἔθεσιν καὶ δικαίοις χρῶνται, ἃ ἔσχον, ὅτε τῇ

[140]) Memno Heracleota, apud Photium c. 224, ed. Bekker I, p. 231. Sed dissentit aliquantum ab Appiano Memno, quod a Mithridate *Dorylæum* missum esse, neque sine aliqua molestia insulam captam esse affirmat. Vere, puto; cf. verba inscriptionis allatæ: *ὅσα ὑπὲρ Ῥωμαίων κ. τ. λ.*

Ῥωμαίων φιλίᾳ προσῆλθον, ἵνα τε ὑπὸ μηθ᾽ ᾡτινιοῦν τύπῳ ὦσιν ἀρχόντων ἢ ἀνταρχόντων, οἵ τε παρ᾽ αὐτοῖς ὄντες Ῥωμαῖοι τοῖς Χείων ὑπακούωσιν νόμοις. Αὐτοκράτορος δὲ θεοῦ υἱοῦ Σεβαστοῦ τὸ ὄγδοον ὑπάτου ἐπιστολὴν πρὸς Χείους γράφοντος, ὡς ....

Copiose et docte hanc inscriptionem explicavit Boeckh l. l. II, p. 206 seq. Et cetera quidem ei assentior. Sed quod scripsit (p. 207): "*Τύπος ἀρχόντων ἢ ἀνταρχόντων* non est *species magistratuum vel eorum, qui pro magistratibus sunt*, sed *jurisdictionem* designat *competentem illis magistratibus in actionibus privatis;* videtur autem *τύπος ἄρχοντος* dictum esse pro *τύπος πρὸς τὸν ἄρχοντα*. Poll. X, 29: *καὶ δίκης μὲν λῆξις* (quæ ad causas privatas pertinet) *εἴη ἂν ὁ νῦν καλούμενος τύπος;* angustius, solam quam narrat causam respiciens, Philostratus Vit. Soph. I, 25, 9: *τύπους* explicat *γράμμα ἀγορᾶς ἐρήμην ἐπαγγέλλον τῷ οὐκ ἀποδιδόντι*. Cf. etiam ad n. 2337 [2338] (vs. 77)" illa explicatio plane rejicienda mihi videtur. Primum verba, quibus maxime ad sententiam suam probandam utitur Boeckh, non sine aliqua dubitatione ab ipso Polluce posita sunt. Deinde, ut sit suspicio Pollucis vera, non tamen inde sequitur, quod sumpsit Boeckh (vid. p. 206), *τύπον* omnino significare causam privatam. Philostrati locus, ut B. ipse concedit, nihil plane probat. Tum inscriptio n. 2338 habet illa quidem verba *ὑπὸ τύπον*, sed ita, ut nihil inde effici possit, neque quicquam B. ipse annotavit. Præterea explicatio genitivi *ἀρχόντων* plane contorta est. Postremo monendum est (propter verba Boeckhii: epistola Augusti *similis argumenti*) fieri sane posse, ut epistola Augusti ab illo senatus consulto aliqua certe ex parte abhorruerit, cum verba extrema magis mutilata sint, quam ex quibus certa sit conjectura. — Simplicius et verius Coraes l. l. III, p. 277: *Τὸ τύπῳ ἐδῶ ἰσοδυναμεῖ μὲ τὸ Κανόνι ἢ Διαταγῇ· τὸ Ἀρχόντων ἢ Ἀνταρχόντων δηλοῖ ἴσως Ὑπάτων ἢ Ἀνθυπάτων.*

III.

§ 1. De forma civitatis regendæ pauca memoriæ prodita sunt, ita tamen ut plerumque penes populum summam imperii fuisse appareat. Gravissima certamina inter optimates et populum fuisse suis locis sæpe jam vidimus.

Ad incertum tempus referendam est, quod tradiderunt veteres, Onomademum quendam popularis factionis principem, altera factione victa, suis svasisse, ne omnes adversarios ejicerent; quod vereretur, ne, si omnino ab inimicis liberati essent, inter se invidia et discordia distraherentur (præcept. reip. ger. c. XVI, ed. Hutten XII, p. 172; de cap. ex host. utilit. Hutten VII, p. 284; cf. Ælian. V, H, XIV, 25).

Quod scripsit Aristoteles (Polit. V, 5, 11, Schneid. p. 203; cf. Ann. p. 314): *Πολλαὶ δὲ διὰ τὸ ἄγαν δεσποτικὰς εἶναι τὰς ὀλιγαρχίας ὑπὸ τῶν ἐν τῇ πολιτείᾳ τινῶν δυσχερανάντων κατελύθησαν, ὥσπερ ἡ ἐν Κνίδῳ καὶ ἡ ἐν Χίῳ ὀλιγαρχία*, ne illud quidem certam habet temporis notationem, nisi quod videtur Aristoteles de re suo tempore facta verba facere. Itaque suspicari quidem licet, illam eversionem potentiæ paucorum ad id tempus esse referendam, quo proxime ante Alexandri tempora dominatum paucorum obtinuisse noverimus, hoc est ad a. fere CCCLI a. Chr. n. (cf. quæ scripsimus p. 54).

§ 2. De singulis rei publicæ institutis nihil, quod Chiorum proprium esset, traditum est. Populi totius rebus, ut in civitatibus populi majestati commissis fieri solet, præfuit *ἡ Βουλή*, cujus mentio fit a Thucydide (VIII, 14) et inscriptione quadam, ubi conjunctum populi nomen est[141]). Plurimis inscriptionibus Chiis populus (*ὁ δῆμος*) solus nominatur (vid. Boeckh, l. l. n. 407, 2217-2219, 2223). Magistratus communi nomine *οἱ ἄρχοντες* a Thucydide (VIII, 24) commemorantur; quanquam ibi de magistratibus optimatium arbitrio creatis sermo

---

[141]) Boeckh l. l. n. 2215. Contioelur decretum senatus populique, quo diis dedicatur C. Julius Cæsar. P. M. *Dictator* (*Αὐτοκράτωρ*), iterum consul, patronus urbis. In nom. *αὐτοκράτορος* sine causa mihi Boeckh, V. Cl. hæsisse videtur (cf. quæ annotavit B. ad n. 2368). Dictaturæ enim honos Cæsari decretus est sub finem anni 48 a. Chr. n. quo anno iterum cos. fuit. Hæc inscriptio referenda est ad annum sequentem (cf. Annales Zumptii); neque hæreo, quod Cæsar iterum consul dicitur, quum revera dictator esset; poterat enim dictatura simul quasi continuatio quædam consulatus prioris anni haberi. Itaque in omnibus illis inscriptionibus (vid. Boeckh l. l. II, p. 292) *Αὐτοκράτωρ* appellatur Cæsar, hac una additur: *consul iterum*, quasi superlatio quædam honoris non inusitata. Denique moneo, nullum aliud verbum Græcum fuisse Græcis, quo dictatorem significarent. Quam ipsam ob causam *Latino* verbo utuntur historici Græci.

Verisimile est autem, Chium cum ceteris orientis insulis et urbibus ad Pompeii partes accessisse (vid. Appian. de bel. civ. II, 71; Flor. IV, 2, 5), et hanc causam fuisse Cæsari ejus insulæ adeundæ.

esse videtur. Romanorum certe temporibus unus magistratus ἄρχων ἐπώνυμος fuisse videtur, ut e numis illis temporibus cusis, in quibus plurimis inest inscriptio: *ΕΠ ΑΡΧ*, videre licet.

§ 3. In inscriptionibus Chiis sæpissime occurrit mentio collegii cujusdam, seniorum nomine appellati. *Οἱ πρεσβύτεροι* appellantur inscript. apud Boeckhium l. l. n. 2220 seq. *ἡ πρεσβυτέρων ξύνοδος* sive *τὸ πρεσβυτικόν*, ibid. n. 2221. Cujus collegii princeps *ὁ ἄρχων* nominatur; qui certo tempore ab illo munere abisse videtur. Utraque harum inscriptionum continetur collegii seniorum decretum magistratus defuncti (*τοῦ ἄρξαντος*) coronandi. Ex altera inscriptione (n. 2221) suspicari licet, partem certe aliquam religiouum et ludorum publicorum (*τῶν γυμνασίων*) illius collegii curæ demandatam fuisse (cf. inscriptio Coa n. 2508, ibique Boeckh).

Commemorat Plinius (XXXII, s. 7) *delubrum senum;* quo nomine significari puto locum, quo convenerint senes illi. Cf. Boeckh ad n. 2220, qui e Corais Atact. III, p. 266 laudat Strab. XIV, p. 649 § 43: *τὸ γυμνάσιον τῶν νέων — καὶ τὸ γεροντικόν* (ubi apertum est, loca urbis Nysæ commemorari). Huc fortasse pertinet narratio Æliani (H. A. XII, 30) nugatoria, *portum* fuisse in Chio *senum* appellatum, piscibus cicuribus abundantem, *οὕςπερ οὖν εἰς παραμυθίαν τοῦ γήρως τοῖς πρεσβυτέροις οἱ Χῖοι τρέφουσι!* (Plinius l. l. pisces cicures e manibus vesci solitos esse juxta senum delubrum tradit).

Inscriptione quadam (n. 2216) *ἡ γερουσία* nominatur. Cujus eandem fere fuisse rationem ac collegii seniorum suspicor; nisi forte unum fuit collegium, illo tempore (Trajani) nomine *γερουσίας* appellatum. [142])

IV.

§ 1. De cultu deorum et rebus sacris pauca tradita sunt.

Summa custos urbis et præses colebatur *Ἀθηνᾶ πολιάς* sive *πολιοῦχος*, cujus deæ ædem commemorat Herodotus (I, 160); cf. Boeckh l. l. n. 407. Strabo (XIII, p. 601) antiquum signum Minervæ Chii

[142]) Boeckh inscr. n. 2216, cf. imprimis inscriptiones Stratonicenses, 2720, 2724, Aphrodisienses 2775, 2782, 2786, Nysæa n. 2914, Teiæ n. 3098 et 3112, quibus conjunctim nominantur *ὁ δῆμος καὶ ἡ βουλὴ καὶ ἡ γερουσία;* in plerisque agitur de gymnasiis aut de cultu dei alicujus.

fuisse dicit: *πολλὰ δὲ τῶν ἀρχαίων τῆς Ἀθηνᾶς ξοάνων καθήμενα δείκνυται, καθάπερ ἐν Χίῳ, καὶ ἄλλαις πλειόσιν (πόλεσιν).*

§ 2. Latissime sine dubio patuit cultus Bacchi, cujus Oenopion, heros insulæ, filius esse fingitur. Multa in numis signa occurrunt, quæ illius dei cultum indicare videantur. In numis recentioris quidem ætatis thyrsi decussatim positi certum est signum hujus dei cultus. In aliis ejusdem temporis numis Bacchus cum aliis diis, inprimis cum Apolline conjunctus apparet. Neque verisimile non est, præcipuum Chiorum numorum insigne, Sphingem dico, ad Bacchi cultum referendum esse. Cf. imprimis, quæ Böttiger (Vasengem. 1, 3 p. 98) de hac re scripsit.

Quod cognomen Bacchus in Chio gessisse traditur, *Φλεῦν* sive *Φλεῶνα* [143]), jam per se satis significare videtur luxuriem quandam orgiorum illorum. Cujus rei testes sunt Harpocration [144]) et Ælianus. [145])

Memorabilis imprimis est narratio Euelpidis Carystii nescio cujus [146]), Chios et Tenedios hominem laceratum *Διονύσῳ Ὠμαδίῳ* (ɔ: *ὠμοφάγῳ*) sacrificasse. Quodsi huic narrationi fides habenda est, ad antiquissima certe tempora referenda est.

§ 3. Magni etiam momenti sine dubio fuit cultus Apollinis. Strabo [147]) Apollinis Delphinii cultum Jonum omnium communem fuisse narrat. Delphinium Chiorum ab illo deo nomen traxisse videtur; ibique

---

[143]) Etym. Magn. s. v. *Φλῶ· τὸ γέμω καὶ εὐκαρπῶ· καὶ Φλεὺς ὁ Διόνυσος ἐν Χίῳ.* Cf. Ælian. V. H. III, 41 — *ὅθεν τὸν Διόνυσον Φλεῶνα ἐκάλουν.* A Phleo Phlium promontorium cognominatum esse, ut Posidium a Posidone, suspicari licet.

[144]) S. v. *Ὁμηρίδαι· Αἱ γυναῖκές ποτε τῶν Χίων, ἐν Διονυσίοις παραφρονήσασαι* etc. Quæ sequitur fabula ineptis illis Homeridarum nominis explicandi conatibus annumeranda est.

[145]) V. H. III, 42: *Ἀκούω, ὅτι καὶ ταῖς Λακεδαιμονίων γυναιξὶν ἐνέπεσέ τις οἶστρος Βακχικὸς καὶ ταῖς τῶν Χίων.*

[146]) Qui scriptor, quod sciam, a viris doctis, qui historiam litterarum Græcarum persecuti sunt, prætermissus est. — Rem tradidit Porphyrius de abstinentia II, p. 55; inde Euseb. præp. Euang. IV, 16.

[147]) IV, p. 179: *Ἐν δὲ τῇ ἄκρᾳ (τῆς Μασσαλίας) τὸ τοῦ Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερόν· τοῦτο μὲν κοινὸν Ἰώνων ἁπάντων.* Quanquam me quidem non latet, extrema hæc verba ad solum Massiliense Apollinis Delphinii templum referri posse.

sine dubio colebatur Apollo Delphinius, quemadmodum ad Phanas Phanæus Apollo, cujus ibi erat templum.[148]

Cum Delphico oraculo summa fuit Chiis conjunctio, a quibus ibi erat ara consecrata (Her. II, 135), et chorum olim centum adolescentium Delphos missum esse supra (p. 34) vidimus.

§ 4. Neque Dianæ cultus vestigia desunt. Plinius (XXXVI, 4) effigiem Dianæ, opus Bupali et Athenidis Chiorum, in sublimi positam fuisse, cujus vultum intrantes tristem, exeuntes exhilaratum putarent, tradidit.

Artemidis Ephesiæ mentionem facit inscriptio quædam (Boeckh l. l. n. 2228).

§ 5. Commemorantur præterea Isis, Serapis, Anubis, Harpocrates *θεοὶ σύνναοι καὶ σύμβωμοι* (Boeckh l. l. n. 2230). Cultus Serapidis ætate Ptolemæorum ex Ægypto in Græciam immigravit (cf. Boeckh l. l. I, p. 783).

Isidi et Serapidi ædes in emporio constitutas esse, testis est Vitruvius[149]).

Sacerdotes Isidis veste nigra utebantur, quapropter *μελανηφόροι* appellati sunt, quorum quidam nominatur inscript. Chia quadam.[150])

De Jove Pelinæo p. 11 dictum est.

V.

§ 1. Chios mercaturæ imprimis deditos fuisse, auctor est Aristoteles (Polit. IV, 4, 1), qui in civitatibus populi majestati obtemperantibus homines variis studiis dicatos esse docuit, quorum, qui mari operam darent, studia in diversas partes abivisse: *οἷον ἁλιεῖς μὲν ἐν Τάραντι καὶ Βυζαντίῳ, τριηρικὸν δ' Ἀθήνησιν, ἐμπορικὸν δ' ἐν Αἰγίνῃ καὶ Χίῳ, πορθμευτικὸν δ' ἐν Τενέδῳ.* Neque illam

---

[148]) Strabo quidem (XIV, p. 645) Apollinis tantum templum nominat, cognomine nullo addito. De Apolline Phanæo vid. Phurnutus de natura deorum c. 32; Macrob. Saturn. I, c. 16; Serv. ad Virg. Georg. II, 98. Hesychius: *Φαναῖος Ἀπόλλων — παρὰ Χίοις οὕτω λέγεται.*

[149]) I, 7, 1: Mercurio autem in foro, aut etiam ut Isidi et Serapidi in emporio.

[150]) Boeckh l. l. n. 2294: *Ἶσι Κτήσιππος Κτησίππου Χῖος Μελανηφόρος.* De hisce melanephoris vid. Boeckh l. l. ad n. 2293, II, p. 240.

diversitatem studiorum ad formam imperii populi constituendam non multum valuisse, idem (l. l. c. superiore) monuit. Vere illud ab Aristotele monitum esse, unum adhuc superest vestigium e re publica Chiorum relictum quod demonstret. Legimus enim apud auctorem Oeconomicorum incertum [151]), legem fuisse Chiis, ut in tabulas publicas (τὸ δημόσιον), quæ æra aliena contracta essent, perscriberentur. An dubitamus, quin talis lex ex ingenio populi mercaturæ studiosi fluxerit? Jam supra (p. 31) vidimus, quam acriter et pæne suspiciose Chii vigilarint, ne mercaturæ suæ officeretur, quum ob eam ipsam causam Oenussas Phocæis vendere nollent.

§ 2. Jam mature cum aliis gentibus societates mercandi causā inierunt. Herodotus memoriæ prodidit (II, 178), Amasin illum, qui Græcis propter mercaturam quam maxime faveret, quum aliis, tum Chiis τέμενος quoddam eo ipso consilio concessisse.

Antiquissimum illud Ἑλλήνιον (cf. C. O. Müller Æginet. p. 20) communiter condiderunt Chius, Teos, Phocæa, Clazomenæ, Rhodus, Cnidus, Halicarnassus, Phaselis (de cujus cum Chio amicitia veteri cf. nos p. 37), Mytilene, quæ civitates ibi suos quæque προστάτας τοῦ ἐμπορίου habuerunt (cf. Wessel. ad Her. l. l.).

Stephanus Byz. (s. v. Ἔφεσος) narrat, in Nilo insulam Chium fuisse; quæ de Chiis sine dubio appellata est. Urbem ejus nominis commemorari a Polyæno (II, 28, 2), monuit Coraes (l. l. p. 81 seq.), qui idem suspicatus est, de ea dictum esse, quod scripserit Stephanus Byz. (s. v.): Βερενίκη — ἡ πρότερον Χίος — ἐκλήθη δὲ Βερενίκη ἀπὸ τῆς Πτολεμαίου γυναικὸς Βερενίκης. (Cf. Müller Æginet. p. 82).

§ 3. Quanquam tanto mercaturæ studio flagrabant Chii, nullam tamen ab iis coloniam conditam esse reperimus (cf. nos p. 28 n. 101). Erat sine dubio prudentiæ et moderationis Chiorum, ut non tam exter-

151) Aristotelis (ut vulgo feruntur) Oeconom. II, 2, 12, Sylburg p. 219, Goettling p. 20, XIII. Quam periculosum sit, privatarum pecuniarum curam rei publicæ mandare, idem locus declarat. Nam quum quando ipsa res publica inopia premeretur, decretum est a populo, ut, qui æs alienum haberent, rei publicæ, quod mutuum accepissent, redderent; res publica illo ære accepto creditoribus usuras penderet, dum sortes ipsas dissolvere posset. Cf. Boeckh Staatshaush. II, p. 47 et 133.

nis quam internis et domesticis opibus sese confirmare studerent. (Cf. Thucydides VIII, 24).

Quantam curam rei numariæ, fidelissimæ mercaturæ adjutrici impenderint, pulchritudo et bonitas numorum affatim relictorum satis ostendit. Quod in numis, recentiore ætate cusis, pretii notam addiderunt, id quod Chiorum cum paucis proprium est, illud eo consilio factum esse puto, ut numorum suorum usus ubique facilior esset et vulgarior.

§ 4. Etiam aliis artibus vacasse Chios et per se intelligitur et confirmant testimonia veterum.

Permagni æstimata fuerunt vasa figlina Chiorum (*κεράμια*), de quibus plurima congessit Coraes l. l. p. 46-48 et p. 65. Athenæus (XI, p. 480, E): *Ἐπαινοῦνται δὲ καὶ αἱ Χῖαι κύλικες, ὧν μνημονεύει Ἕρμιππος ἐν Στρατιώταις·*

Χία δὲ κύλιξ ὑψοῦ κρέμαται περὶ πασσαλόφιν.

A Critia quodam historico laudatur *κλίνη Χιουργής*, lectus in Chio factus (Athen. XI, p. 486, E). Digni sunt, qui conferantur, versus Critiæ poetæ (Athen. I, p. 28, B):

Θεσσαλικὸς δὲ θρόνος, γυίων τρυφερωτάτη ἕδρα,
εὐναίου δὲ λέχους ἔξοχα κάλλος ἔχει
Μίλητός τε Χίος τ' ἔναλος πόλις Οἰνοπίωνος!

Laudatur etiam ab Hippocrate (de articulis, ed. Chart. XII, p. 233, Kühn III, p. 239) *ῥυθμὸς* (proportio) calceorum Chiacorum; qui *ῥυθμὸς* qualis fuerit, ignoratur. Cf. Hesychius (s. v.): *Χῖαι· ὑποδήματος ἀνδρείου εἴδους.*

§ 5. Itaque quum in mercaturis et navigationibus ipsi Chii præcipue occupati fuisse videantur, magna multitudine servorum et ad agros colendos et ad alia negotia domestica obeunda et ad remigia (Thucyd. VIII, 15) opus iis erat. Atque memoriæ proditum est, secundum Spartanos plurimis servis pro rata parte usos esse Chios (Thucyd. VIII, 40), quibus nomen fuisse *θεράπουσιν*, auctor est Stephanus Byz. (s. v. *Χίος*), quod nomen a Cretensium jam dominatu repetendum esse, Hoeck (Kret. II, p. 232) recte, ni fallor, monuit.

Theopompus Chius (Athen. VI, p. 265 B. seqq.) narrat, secundum Thessalos et Lacedæmonios servis primos usos esse Chios; in illis autem parandis diversam plane rationem secutos esse, quum ceteri

servis uterentur Græcis a se domitis, Chii emptos servos, qui barbari essent, haberent (cf. Eustath. ad Odyss. III, v. 170, p. 1462, 35).

Qui servi quum crebro seditiones facerent, proverbium illud natum est: Χῖος δεσπότην ὠνήσατο, quod Eustathius (l. l.) interpretatur ἐπὶ τῶν βλαπτομένων ἔκποθεν προσώπων μεμισθωμένων ἐπ' ὠφελείᾳ. Quo proverbio jam usus est Eupolis in fabula, quæ οἱ Φίλοι inscripta erat.[152])

Talem servorum seditionem bello Peloponnesiaco factam esse jam supra (p. 46) vidimus.

Maxime insignis seditionis memoriam servavit (apud Athen. l. l.) Nymphodorus Syracusius nescio quis (ἐν τῷ περίπλῳ τῆς Ἀσίας), de cujus fide dubitari potest; ipse quidem hanc rem ad Chios ipsos auctores retulit, μυθολογεῖσθαι eos dicens.[153]) Animi causa rem in breve contractam proponam:

Servi Chiorum multi in regiones montanas confugiebant et agrestia domicilia, quibus habitaverant, exscindebant. Ipsi se asperitate insulæ et silvis defendebant. Horum fugitivorum imperium quondam adeptus est *Drimacus* quidam fugitivus, cui quum satis ex sententia res procederent, Chios ad sponsionem secum faciendam (illa ex oraculo fieri obtendens) impulit, ut illi, quicquid opus esset, sibi darent, ipse Chios ab injuriis servorum defenderet. Chii tandem hujus rei tædio fessi præmium proposuerunt, si quis vel ipsum vel caput ejus tulisset. Tum Drimacus jam senex adolescenti, quem amabat, persvasit, ut illud præmium merere vellet. Quo facto, quum Chii a servis denuo etiam magis quam antea sollicitarentur et diriperentur, mortui illius moderationis recordantes, ἡρῷον illi condiderunt et nomine ἥρωος εὐμενοῦς appellarunt. Huic etiam Nymphodori tempore (quod incertum est; fortasse ad tertium sæculum ante Chr. n. referendum; cf. Schweigh. l. l.) fugitivi primitias omnium, quæ ceperant, offerre soliti sunt; quin etiam tradunt, ipsum Chiis in somniis sæpe apparentem insidias servorum indicasse, et quibus apparuerit, eos illi sacrificare solitos esse.

---

[152]) Facile igitur perspicitur, Athenæum (VI, p. 267) originem illius proverbii inepte ad tempora Mithridatica retulisse, quod Mithridates Chios servis ipsorum vinctos tradidisse diceretur (cf. nos p. 59).

[153]) De quo cf. Schweigh. Animadv. ad Athen. X, p. 452 F et ad IV, c. 1, init. Vossius de histor. Gr. III, p. 183 (s. v. Nymphodorus), Harduinus (edit. Plin. I, p. 63).

Non omnia ficta esse, sponte patet. Et *herois* quidem *benevoli* cultum apud Chios fuisse verisimile est, cujus cultus singularis forsitan fuerit fons fabulæ illius. Deinde fieri potest, ut servi Chii olim per aliquod certe tempus suam et propriam Chiis conniventibus rempublicam constituerint, quemadmodum nostris temporibus in Jamaica, permittentibus Anglis, et in aliis quibusdam Indiæ occidentalis insulis fugitivi nigri coloris, quos *Marrons* Francogalli appellant, liberas civitates formaverunt.

A Chiis non minus quam a Clazomeniis et Ephesiis et Abydenis pueros emptos esse, locus Aristophanis quidam (quem servavit Athen. XII, p. 525, A) ostendit, et testatur historia Panionii Chii, turpissimi hominis (Her. VIII, 105 seq. cf. Athen. VI, p. 267, E).

VI.

§ 1. Institutioni puerili et eruditioni maximam operam dedisse Chios propter multitudinem virorum doctorum in hac insula natorum verisimile est.

Quo tempore proelium illud ad Ladam nobile et infaustum Chiis committeretur, scholam fuisse Chii centum et viginti discipulorum, Herodotus (VI, 27) memoriæ prodidit. Auctor vitæ Isocratis [154]) narrat, rhetorem illum Chii scholam aperuisse primum novem discipulorum, deinde omnibus sui copiam fecisse.

Etiam palæstræ plurimum tribuebatur studii, et sicuti Spartæ, ita Chii quoque virgines publicis exercitationibus intererant. Auctor est Athenæus (XIII, p. 566, E): *Ἐν Χίῳ δὲ τῇ νήσῳ καὶ βαδίζειν ἥδιστόν ἐστιν ἐπὶ τὰ γυμνάσια καὶ τοὺς δρόμους καὶ ὁρᾷν προσπαλαίοντας τοὺς νέους ταῖς κόραις.*

---

[154]) Plutarchi oper. vit. X orat. ed. Hutten. XII, p. 237. Primum dialecticam dictionem a politica, in qua imprimis elaboraret, cum sejunxisse tradit; tum hæc addit: *καὶ ἀρχὰς δὲ καὶ περὶ τὴν Χίον κατέστησε καὶ τὴν αὐτὴν τῇ πατρίδι πολιτείαν.* Qui locus plus profiteri videtur, quam quod præstare possit. Non verisimile est, hominem, quibus moribus fuerit Isocrates, ad alienam rempublicam constituendam accessisse, neque tantum illi Chios tribuisse. Quid multa in re non incerta? Equidem illum hæc animo finxisse aut summum orationibus, ut solet, disputavisse arbitror. Aliter judicavit Coraes (l. l. p. 131 n. 5), nec silentio de illa re Photii (cod. 260 in. p. 186 Bekk.) de sua sententia deterritus est.

Gymnasium quoddam *Homereum* nominatur inscriptione quadam, Chii (in palæo-castro) inventa, aliunde non notum.[155]) In illo gymnasio statua in honorem Megaclis, qui collegio seniorum præfuerat, posita est a collegio illo, de cujus in hac re partibus supra diximus (p. 63).

Quo modo et quo ordine exercitationes publicæ Chiorum institutæ fuerint, optime illustratur inscriptione quadam, a Prokeschio Austriaco detecta, a Boeckhio (l. l. n. 2214) egregie enarrata. Hoc loco sufficiet brevis descriptio præcipuorum locorum. Erant ludi Chiorum partim musici, partim gymnici, illi Musis, hi Herculi dicati, quibus diis sumptu e publico erogato jussu populi libabatur; quæ libatio prægustabatur ab homine quodam, qui *γεύστης* vocabatur. Certamina musica nominantur *Ἀνάγνωσις* et *Ῥαψῳδία*, qua inde ab Homeridis excellebant Chii[156]). Sequuntur *Ψαλμὸς* et *Κιθαρισμός*, eo distingvendi, quod *Κιθαρισμὸς* fiebat plectro, *Ψαλμὸς* digitis.

In his certaminibus nulla fit ex ætate certantium distinctio; in ludis gymnicis (qui hoc ordine nominantur: *δόλιχος, στάδιον, δίαυλος, πάλη, πυγμή*) distingvuntur *παῖδες, ἔφηβοι* (atque horum quidem sunt tria genera: *νεώτεροι, μέσοι, πρεσβύτεροι*), *ἄνδρες* sive *νέοι*.

§ 2. Herodotus (I, 142) auctor est, Chios et Erythræos eadem dialecto lingvæ Jonicæ usos esse (Idem repetit Stephanus Byz. *Χίος*). Strabo (VIII, p. 333, § 2) autem affirmat, Jonicam veterem dialectum ab Attica veteri non diversam fuisse; Atticos enim veteres tum Jones appellatos esse, et, qui Asiam incolerent Jones, ex Attica egressos esse; suo autem tempore dialecto tum Jonica appellata uti.

E scriptoribus Chiis ad lingvam populi universi cognoscendam non certam esse conjecturam facile intelligitur. Cf. Coraes (l. l. p. 68 seq.), qui loco Jonis poetæ (qui est apud Athen. XIII p. 603 seq.) allato monuit, Jonicis formis in prosa oratione illum poetam usum esse; sed paucissimis, quum esset locus pluribus, ego addo. In fragmento non ita brevi hæc tantum occurrunt: *ἔοντος, ἑστεώς, ἔπρησσε*.

---

[155]) Boeckh l. l. n. 2221: "neque attingo fabulam de schola Homeri, quo nomine locus quidam in Chio vocatus est a nonnullis". Sic quidem Pococko (Description of the east and some other countries l. III, c. 1) jampridem ob eam sententiam castigatus.

[156]) Comparatio Gymnasii *Homerei* et ludi *ῥαψῳδίας* digna sane est, quæ attendatur.

Numorum inscriptiones nullum habent vestigium Jonicæ recentioris dialecti (*Ἱππίας*, non *Ἱππίης* constanter scribitur). Singularis est forma HMYCY in numis non illis quidem valde antiquis (cf. *Αἰμύλιος*, Boeckh l. l. n. 2218). In inscriptionibus ceterorum monumentorum, quorum nulla Sullana tempora antecedere videtur, singulares formas has notavi: Inscr. n. 2223 (Boeckh l. l.) habet formam genitivi hanc: *ΑΠΕΛΛΩΙ* ɔ: *Ἀπελλῶ*. Pæne adducor, ut credam, hanc formam genitivum esse nominativi, qui est *Ἀπελλᾶς*. — Constanter nominativi in *ῆς contractum* desinentes habent Genit. *εῦς* (Ceteri, in *ης* desinentes, solitam declin. sequuntur, v. c. *Διογένης*, *Διογένους*, insc. l. l. n. 2230). Exempla hujus formæ hæc sunt: *Ἀγαθοκλεῦς*, *Τιμοκλεῦς* (Boeckh l. l. n. 2214 sæpius, et n. 2225). Eadem forma restituenda est in inscriptione n. 2227: *Φαινομενὸς Ἀγγελεῦς*[157]). Nomen *ΑΓΓΕΛΗΣ* in numo legitur, qui est in Museo Thomseniano Hafniensi (hunc pictum dedimus n. III). Deinde nomen patris constanter additum in his inscriptionibus reperitur. Nomen *Ἄγγελος* Chiis domesticum fuit (Paus. VII, 46); similitudinem mutationis præbet nomen *Πάτροκλος* (cf. Buttmann, Ausführl. Gr. Sprachlehre I, p. 207, seq.). Vetus hæc forma (*ευς*) in inscriptionibus Cariæ et insularum adjacentium (vid. n. 2489, 2513, 2534, 2537, 2546) imprimis occurrit, non tamen in nominibus contractis. Veterem illam formam Chiis quoque in aliis verbis consvetam fuisse, docet hæc observatio scholiastarum ad Il. III, 10: *Ἐν ἐνίαις δὲ τῶν ἐκδόσεων, τῇ τε Χίᾳ καὶ τῇ Μασσαλιωτικῇ καί τισιν ἄλλαις, ἐκ πλήρους ἐγέγραπτο· "Ηὖτε ὄρευς κορυφῆσι"*.

§ 3. Per omnia tempora pulchritudinis laude floruerunt Chii et pro exiguis insulæ finibus magnus numerus virorum summis ingeniis exstitit. Neque tamen negari potest, quemadmodum insulæ opportunitas

---

157) Boeckh l. l. *Ἀγγελεὺς* scripsit et hæc annotavit: "Atticus homo est Phænomenus, qui si Chii habitasset, ut inquilinus, non ex demo sese nominasset *Ἀγγελέα*, sed *Ἀθηναῖον*, cf. ad n. 2151. Nec tamen Chius unquam cleruchos Atticos habuit; itaque in itinere vel militari expeditione Phænomenus Chium delatus videtur hoc dicasse monumentum (uxoris mortuæ!). Quodsi statuas, minus offendit nomen demoticum". Quibus omnibus molestiis irretitum se vidit vir doctissimus, supersedere jam possumus, *Ἀγγελεῦς* scribentes. — Similiter in inscriptione n. 2517 legendum esse puto: *Μικυλίνη Νικομήδευς* (non *Νικομηδεύς*); Coa est inscriptio.

navigandi et mercandi ad naturalem Chiorum comitatem, industriam, virtutem augendam summam vim habuerit, sic ardens mercaturæ studium, præsertim si in transversum agatur (ut Chios turpi mancipiorum quæstui deditos fuisse vidimus), facillime corruptionem morum populi afferre. Neque abundantia vini, una cum luxurioso illo cultu Bacchico, ad mores emolliendos et ad varia vitia adducenda parum valuisse videtur.

Mobilitas et rerum novarum studium Chiis præcipue vitio vertitur (Ælian. V. H. XIV, 25), neque plane injustam esse istam criminationem, historia Chiorum patefacit.

Sed quod gravissima Chiorum cum Atheniensibus certamina fuerunt, quo tempore comoedia Athenis maxime florebat, id sine dubio præcipuam causam attulit vitiorum Chiorum plus justo exaggerandorum, cui studio scriptores illi comoediarum semper indulgebant.

Mobilitatis et inconstantiæ notam Aristophanes (Av. v. 880). Chiis inussit, quum diceret: *Χίοισιν ἥσθην πανταχοῦ προσκειμένοις;* sed illa fabula data est, quo fere tempore Athenienses Chios defectionis nomine suspectos habebant, quæ brevi post consecuta est [158]). Idem poëta (pac. v. 171) dissolutos Chiorum mores perstringere et illudere videtur, interprete quidem codicis Veneti scholiasta; locus ipse Aristophanis magis Atheniensium libidinem in urbibus incusandis et damnis afficiendis declarat; et data est hæc fabula triennio fere, postquam Athenienses adeo Chiis diffisi sunt, ut novos muros diruere cogerentur (cf. p. 38).

Ista scholiastæ arripuerunt et interpretando auxerunt, cumularunt lexicographi et interpretes. Eustathius quidem (ad Odys. III, 170 p. 1462, 31) multa habet, quæ depravatos Chiorum mores declarent. Cf. Hesychius (*Χιονόλοφον, Χιάζειν*), Suidas s. v. *Βόστρυχος*. Inanem ostentationem et levitatem animi indicat γέλως Χῖος (Proverb. cod. Vat. app. cent. 1, 45, ed. Schott. p. 266: *Γέλως Ἰωνικὸς ἐπὶ τῶν κενοδόξων καὶ ἐκλελυμένων· παρόσον οἱ Ἴωνες ἐπὶ τούτοις διεβάλλοντο· γράφεται καὶ γέλως Χῖος*). Denique Plutarchus (apophth. Lacon. VIII, p. 237 ed. Hutten) rem tradidit, quæ, si vera sit, magnopere

---

[158]) Cf. Clint. fasti Hellenici, quos plerumque secutus sum. Ad illum locum Aristophanis scholiasta Theopompum Chium laudans auctorem tradidit, aliquando Athenienses et sibi et Chiis bona precari solitos esse, et Hyperidem laudans, Chios quoque Atheniensibus idem fecisse. Cf. Hesych. lex.

ostendat, quam non bonam existimationem mores Chiorum habuerint, quum Lacedæmonii olim edixisse dicantur: licere Chiis turpiter agere. At eandem fere rem de Clazomeniis narravit Ælianus (V. H. II, 15).

Quin etiam ad Romanos penetravit infamia Chiorum, sero tamen. Petronius quidem (c. 63), ut vitam delicatam significaret, dixit: "a puero vitam Chiam gessi" [159]).

Quicquid est, ejusmodi vitia neque omnibus temporibus, neque toti populo tribui possunt; cujus moderationem animi et prudentiam et cautionem omnibus laudibus extulit Thucydides (VIII, 24). Quid opus est fortitudinis exempla et constantiæ in libertate defendenda Chiorum proferre? Testis est Lada, testis omnis consequentis temporis memoria.

---

[159]) De his rebus plura congessit Coraes l. l. p. 110, seqq.

A.

1. *Sphinx sedens ad dextram.*
Quadratum incusum in IV partes æquales sectum. AV. $4\frac{1}{2}$.
(mod. Mionnet).
Sestini Stater. p. 89, n. 1, tab. IX, fig. 7, e mus. reg. Bavar. Mionnet VI p. 616, n. 25, e mus. Cousinéry.

2. *Sphinx sedens ad s. infra piscis.*
Quadrat. incus. in IV partes sectum. AV. 5.
Sestini Descriz. d. med. ant. del mus. Hedervar. Tom. II, p. 203, n. 1, tab. IV, fig. 14. Mus. Fout. Mionnet suppl. VI, p. 388, n. 1. Alterum plane eundem, sed minorem (3), quum desit quarta pars numi, habent Sestini l. l. n. 2 et Mionnet l. l. n. 2.

3. *Sphinx ad s. gradiens, pedem anteriorem elevans, infra piscis.*
Quadrat. incus. in IV partes. AV. 2.
E mus. Allier: Sestini Stater. p. 89, n. 2, tab. IX, fig. 8. Mionnet III, p. 265, n. 1, tab. XLIII, fig. 2, Dumersan p. 88, tab. XVI, 1.

4. *Sphinx ad s. ante amphora, supra quam racemus uvarum esse videtur.*
Quadr. incus. in IV partes æquales et profundas sectum. AR. lat. 4 alt. 2.
E mus. Christiani Frederici, principis celsissimi. Pictum dedimus fig. I.

5. *Sphinx ad s. pone palmæ ramus (?).*
Quadr. incus. AR. 4 (oblong.).
Mionnet III, p. 266, n. 5, tab. XLIV, n. 2.

6. *Sphinx sedens ad s. ante amphora.*
Quadr. incus. AR. 4 (oblong.).
Mionnet III, p. 266, n. 4, tab. XL, n. 1. Mus. Hunter. p. 95, n. 1, tab. XVII, fig. 10. Mus. reg. Bavar. (Sestini) (Huc referendus est, quem ita descripsit Wise (C. N. Bodl. p. 5 et p. 127): Sphinx. — x intra quadrat. incus.).

7. *Sphinx ad d. sedens.*
Quadr. incus. in IV partes informes sectum. AR. $8\frac{1}{2}$.
Mionnet III, p. 266, n. 6.

8-9. *Sphinx ad s. sed. ante amphora, cui imminet racemus uvarum.*
Quadr. incus. in IV part. antiquissimæ formæ. AR. IV et II drachm.
E mus. Payne Knight p. 115 B. 1, et C. 1 (In d. et s. aliam P. K. rationem sequitur).

10. *Sphinx ad s. sed. ante amphora et rac. uvar.*
Quadr. incus. in IV partes æquales areolis punctatis distinctas. AR $2\frac{1}{2}$.
E mus. Christiani Frederici, principis celsissimi fig. II pictum dedimus. Mus. Britan. p. 175, n. 1. Mionnet III, p. 266, n. 7 et 8. Mus. reg. Bav. et mus. Ainslie (Sestini). (Huic fere similis exstat *æneus* aperte falsus, qualem in collectione Falbii V. Cl. vidi).

11. *Sphinx ad s. sed. ante amphora et uvæ, post piscis.*
Quadr. incus. AR. 4.
Mus. Knobelsdorf.; mus. D'Hermand (Sestini).

12. *Clipeus rotundus (?) super quem Sphinx ad s. ante amphora, cui imminet racemus uvarum, post astragalus.*
Quadr. incus. in IV partes inæquales et profundus. AR. max.
E mus. reg. Bavar. (Sestini).

13. *Sphinx sed. ad. s. ante amphora et uvæ.*
Quadr. incus. AR. $1\frac{1}{2}$.
Mus. Stieglitz. mus. Payne Knight p. 115 D. 1. Cf. Dumersan (mus. Allier) p. 88; Mionnet suppl. VI, p. 388, n. 3 et 4.

14. *Sphinx ad s. ante amphora, supra quam uvæ, post IΓ.*
Quadr. incus. AR. $2\frac{1}{2}$.
Mionnet III, p. 266 n. 9. Pellerin Rec. III, p. 114, fig. 3.

15. *Sphinx ad s. ante amphora, post* ϴ.
Quad. incus. in IV partes sectum. AR. $2\frac{1}{2}$.
Mus. Allier (Sestini).

16. *Sphinx ad s. ante amphora etc. post* K.
Quadr. incus. AR. $2\frac{1}{2}$.
Mus. Hunter, p. 95, n. 2.

B.

17. *Sphinx ad s. ante amphora, cui imminet uvarum racemus.*
Quadr. incus. in IV partes æquales, crucem formantes, in cujus altero brachio: ΑΣΜΕΝΟΣ. AR. 5½.
Mionnet III, p. 267, n. 11.

18. *Sphinx ad s. ante amphora.*
ΝΕΟΤΤΙΣ *scriptum ut in superiore. Quadrat ornat.* AR. 3.
Sestini Descriz. dell. Med. ant. del mus. Hederv. II p. 204, n. 8. Mionnet suppl. VI, p 389, n. 5. (Sed vix racemum deesse puto, qui in ceteris similibus adest.) Idem nummus fortasse est, quem descripsit Mionnet III, p. 267, n. 18 sed ΘΕΟΤΤ... (habet hic quidem racemum).

19. *Similis, sed* ΕΡΜΟΦΑΝΤΟΣ.
Mus. Pembrock p. II, tab. 33, fig. 19. Mus. Neapolit. (Krarup).

20. *Similis, sed* ΗΡΙΔΑΝΟΣ. AR. 5.
Mionnet III, p. 267, n. 12 et 13. Mus. Hunter, p. 25, n. 5. Beger, thesaur. Brand. 1, p. 420.

21. *Similis, sed* ΘΕΟΠΟΜΠΟΣ. AR. 3.
Eckhel D. N. V. Vol. II, p. 566 e mus. Cæs. Vindob.

22. *Similis, sed* ΙΠΠΙΑΣ *et caveas occupant globuli.* AR. 3.
Mionnet III, p. 267, n. 19, tab. XLVII, fig. 8. Peller. rec. III, tab. 114, fig. 4. Mus. Brit. p. 175, 2. Payne Knight p. 115, D. 3 (sed minor). ✠ Mus. Hunter p. 95, n. 3, ΙΠΠΙΙΣ fortasse error typographi (errores typographici in hoc libro non rari sunt).

23. *Similis, sed* ΚΗΦΙΣΟΚΡΙΤΟΣ. AR. 2½.
Mionnet l. l. n. 15.

24. *Similis, sed* ΚΗΦΙΣΟΚΡΙ. AR. 5.
Mionnet, l. l. n. 14. Mus. Hunt. p. 95 n. 4. Mus. Cæs. Mediol. (Aquilam post Sphingem cusam esse, scripsit Sestini; sed Krarup affirmat, se eam videre non potuisse).

25. *Similis, sed* ΛΥΚΙΔΕΟΣ. AR. 5½.
E mus. Chaudoir ed. Sestini p. 94, tab. VI, n. 3. Mionnet, suppl. VI, p. 389, n. 6.

26. *Similis, sed* ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ. AR. 5.
Mionnet III, p. 267, n. 16 e mus. Allier, Dumersan p. 89, tab. XVI, fig. 4.

27. *Sphinx ad s. ante amphora et uvæ.*
Quadr. incus. crucem formans: ΧΚΥΜΝΟΣ. AR. 6.
Mionnet l. l. n. 17, tab. XLVII, fig. 7. Mus. Ainslie, sed minor (Sestini).

28. *Similis, sed* ΧΟΝΜΥΝ... *in quadrato incuso, lineis ornato.* AR. 1 dr.
Mus. Payne Knight, p. 115 D. 2.

29. *Similis, sed* ΧΩΣΤΡΑ. AR. $2\frac{1}{2}$.
Mionnet III, p. 268, n. 21, tab. XLVII, fig. 9.

30. *Similis, sed* ΦΗΣΙΝΟ. AR. 3.
Mionnet l. l. n. 20 e mus. Cousin. Dumersan (mus. Allier) p. 89, tab. XVI, fig. 5.

31. *Sphinx ad s. ante amphora.*
✠ ΕΓΑΝΕ *ut in superioribus scriptum.* AR. $4\frac{1}{2}$.
E mus. reg. Bavar. (Sestini).

32. *Similis, sed* ✠ ΙΣΧΙΜΑ. AR. $4\frac{1}{2}$.
E mus. reg. Bavar (Sestini).

C.

33. *Leo alatus dimidius in plumas desinens ad s.*
Quadrat. incusum, in quo Sphinx sed. ad d. AV.
Mus. Payne Knight. p. 115, A. 1. (Eundem ac n. 35 esse suspicor).

34. *Similis, sed* EL. 2.
Mus. reg. Gall. Sestini Stat. p. 89, n. 3, tab. IX, fig. 9. Mionnet III, p. 266, n. 3, tab. LIII, fig. 12. Peller. rec. III, tab. 114, fig. 2.

35. *Canis dimidius ad s.* (Aper marinus, Mionnet).
Sphinx ad d. in quadrat. incuso. AV. 2.
Mus. reg. Bav. Sestini Stat. p. 89, n. 4, tab. IX, fig. 10; lettere tom. IV, p. 115, n. 1. Dumersan p. 88, tab. XVI, n. 2. Mionnet III, p. 265 n. 2 (minor esse videtur).

36. *Sphinx ad s. pedem alterum anteriorem clevans.*
Caput leonis ad s. ore hiante in quadrato incuso globulis distincto. AR. $2\frac{1}{2}$.
E mus. Allier Sestini Stat. p. 90, tab. IX, fig. 11 et Mionnet III, p. 226, n. 10 et Dumersan p. 88, tab. XVI, fig. 3. Mionnet. rec. des méd. p. 32, tab. LVI, fig. 3, e mus. reg. Galliæ.

37. *Sphinx ad s. sed deest caput.*
Quadr. incus. in quo figura adeo trita, ut agnosci vix possit. **AR. 1.**
E collectione Falbii.

D.

38. *Caput Herculis.*
Jupiter ad s. in solio sedens, dextra aquilam, sin. sceptrum tenens, post ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, *ante* ΡΟ *(supra), ad pedes Jovis Sphinx amphoræ insidens; infra* ΑΝΤΙΦΩΝ. **AR. 9-10.**
Mus. Payne Knight p. 80, n. 91. Mionnet I, p. 523, n. 170. Mus. reg. Dan. habet exempl. e sulphure fusum e mus. Payne Knight; cf. Pellerin (melange de méd. tom. I, p. 111 seq. tab. II, n. 3, qui minus recte ΑΝΤΙΓΩΝ **legit).**

39. *Similis, sed detrita, ut Sphinx sola appareat, non amphora:* ΔΙΟΓΝΗΤΟΣ. **AR. 9.**
Mionnet 1, p. 523, n. 171. Mus. Payne Knight p. 80, n. 90 sed ✠ ΔΙΝΗΤΩΡ. **Ipse exemplum e sulphure fusum ad instar numi Paynii Knightii tractavi, in quo vix apparent hæ litteræ** ..ΝΗΤΟΣ. **Cf. Pellerin l. l.**

40. *Similis, sed* ΕΥΚΛΕΩΝ.
E collect. privat. Londin. mus. reg. Dan. exemplum e sulphure fusum.

41. *Similis, sed* ΕΥΚΛΗΣ.
Pellerin l. l. ✠ ΖΥΚΛΗΣ **Mionnet 1, p. 523, n. 173.**

42. *Similis, sed in area* ΑΡ *et* ΖΗΝΟΔΟΤΟΣ.
Mionnet I, p. 523, n. 172. Pellerin l. l.

43. *Similis, sed* ΡΟ *et* ΚΡΑΤΩΝ.
Mionnet l. l. n. 174. Peller. l. l.

44. *Similis, sed* ΑΡ *et* ΛΑΣΩΝ.
E vetere collectione mus. Brit. exempl. e sulphure fusum in mus. reg. Dan. tractavi.

45. *Similis, sed* ΡΟ *et* ΞΕΝΩΝ. **AR. 8½.**
Mionnet l. l. n. 175. Pellerin l. l.

46. *Similis, sed* ΞΟΥΘΟΣ. **AR. 10.**
Mionnet l. l. n. 176. Peller. l. l.

47. *Similis, sed* ΤΙΜΩΝ. **AR. 9.**
Mionnet l. l. n. 177. Peller. l. l.

48. *Caput Herculis.*
Jupiter ad s. in solio sedens, dextra aquilam, sin. sceptrum tenens, post ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, *ante* ΓΟ *(supra), ad pedes Jovis Sphinx amphoræ insidens, infra* ΦΙΛΙΠΠΟΣ. **AR. 10.**
Mionnet, l. l. n. 178. Peller. l. l.

49. *Similis, sed* ΧΑΡΗΣ. **AR. 8.** Mionnet l. l. n. 179.

50. *Similis, sed inter pedes* Λ, *in area Sphinx ad s. infra circulus, in quo monogramma* (Mionnet monogr. n. 45, nisi quod o superimpositum est). **AR. 8.**
Mus. Payne Knight p. 80, n. 88; inde exempl. e sulphure fusum mus. reg. Dan. habet.

51. *Similis, sed inter pedes aliud monogr.* (Mionnet n. 446), *in area apparere videtur ala et pars dorsi Sphingis.* **AR. 4.**
E mus. Payne Knight, inde mus. reg. Dan. exemp. sulphur.

52. *Similis, sed aliud monogr. ante Sphingem racemus uvarum.* **AR. 10.**
Mionnet l. l. n. 180 (monogr. n. 1246).

53. *Similis, sed aliud monogr.* (Mionnet n. 403, sed linea superne addita est) *inter pedes* Δ. **AR. 8.**
E collect. veter. mus. Brit. mus. reg. Dan. exempl. sulph.

54. *Similis, sed Sphinx ad d. in area sedens; aliud inter pedes solii monogr. aliud infra Sphingem.* **AR. 9.**
E collect. reg. Brit. mus. inde mus. reg. Dan. exempl. sulph. Mionnet l. l. n. 187 (monogr. 168 et 1248).

55. *Similis, sed Sphinx ad sin. infra monogr.* (Mionnet n. 218), *inter pedes solii* Λ. **AR. 9.**
E collect. privata Londin. mus. reg. Dan. exempl. sulph. Cf. Eckhel Catal. mus. Cæs. Vindob. I, p. 92, n. 72.

56. *Similis, sed Sphinx uvarum racemum tenens, amphoræ insidens in area monogramma.* Eckhel l. l. n. 71.

57. *Similis, sed in area sinistra Sphinx, alia monogrammata.* **AR. 9.**
Mionnet l. l. n. 181 (monogr. 358 et 1247).

58. *Similis, sed Sphinx ad pedes Jovis; alia monogrammata.* **AR. 9½.**
Mionnet I, p. 524, n. 182 (mongr. 356 seq.).

59. *Similis, sed aliud monogramma.*
Mionnet l. l. n. 183 (monogr. 361).

60. *Similis, sed aliud monogramma.*
Mionnet l. l. n. 184 (monogr. 362).

61. *Caput Herculis.*
Jupiter ad s. in solio sedens, dextra aquilam, sinistra sceptrum tenens, post ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, *in area sin. Sphinx; monogr. littera* Δ. AR. 9.
Mionnet l. l. n. 185 (monogr. 371).

62. *Similis, sed aliud monogramma et littera* Α.
Mionnet l. l. n. 186 (monogr. 520).

E.

63. *Sphinx ad sin. coronam tenens, infra* ΦΙΠΣΙ (ɔ: ΦΙΠΣΙΝΟΣ).
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ *amphora intra coronam oleaginam; infra* ΔΩΡΟ(Ν). AR. 4. [160]
Mionnet V, p. 26, n. 236, e mus. reg. Galliæ. Caylus Rec. II, p. 144, indidem, sed minus accurate.

F.

64. *Sphinx ad s. sedens.*
ΑΓΓΕΛΗΣ *amphora* ΧΙΟΣ. Æ. 4.
E mus. Thomseniano Hauniensi; pictum dedimus fig. III. De hoc nomine diximus p. 71.

65. *Sphinx sedens, in area racemus uvarum.*
ΑΘΗΝΑ... *amphora* ΧΙΟΣ. Æ. 4.
Eckhel Cat. mus. Cæs. Vindob. I, p. 173, n. 1.

66. *Sphinx ad d. ante racemus videtur esse.*
ΑΘΗΝΙΚΩΝ *amphora* ΧΙΟΣ, *omnia intra coronam.* Æ. 2½.
E mus. reg. Daniæ (falso Ramus, Cat. mus. reg. Dan. I, p. 267: ΑΘΗΝΙΑΣ) pictum dedimus fig. V. Mus. Thomsen (deest Α, Θ obscurum est). Nomen Ἀθηνικῶν ter occurrit in inscriptione quadam Chia (Boeckh l. l. n. 2214, II, p. 203); sine dubio in pluribus numis adest, sed parum intellectum est. Sequentibus tribus restituendum esse suspicor.

67. *Sphinx thyrso jacenti insidens ad d. ante racemus.*
ΝΙΚΩΝ *amphora* ΧΙΟΣ, *omnia intra coronam.* Æ. min.
Mus. Hedervar. p. 221.

---

[160]) Cf. quæ de hoc numo diximus p. 57 et Eckhel. D. N. V. II, p. 566; de nomine p. 55, ann. 136 dictum est.

68. *Sphinx ad s. supra ramum, dextrum pedem elatum uvarum racemo imponens.*
 ✠ ΑΗΝΙΚΟΣ *amphora* ΧΙΟΣ *omnia intra coronam.* Æ. 3.
 Mionnet III, p. 269, n. 42 e mus. Cousinéry, nunc in mus. reg. Bavar. (Sestini).

69. *Sphinx ad d. sedens.*
 .... ΝΙΚΟΣ *amphora* ΧΙΟΣ. Æ. 2.
 Mionnet suppl. VI, p. 395, n. 67.

70. *Sphinx caduceo insidens, sinistro pede racemum uvarum tenet.*
 ΑΙΣΧΙΝΗΣ *amphora* ΧΙΟΣ, *omnia intra coronam.* Æ. 4.
 Mus. Hedervar. p. 221, inde Sestini Descriz. del. med. ant. del mus. Hederv. II, p. 204, n. 10. Mionnet suppl. VI, p. 390, n. 15. Mus. Brit. p. 176, n. 6.

71. *Sphinx ad s.*
 Corona pampinea, intra quam crux, cujus in altero brachio ΑΝΑ..ΓΟ, *in altero* ΧΙΟΣ; *cetera foliis pamp. distincta sunt.* Æ. 3.
 E mus. Thoms. pictum fig. IV dedimus. Mus. Hederv. p. 221 et Sestini l. l. n. 7 et Mionnet suppl. VI, p. 390, n. 14. In Hederv. legitur ΑΝΑΞΑΙ, itaque *'Αναξαγόρας* certum est nomen in his numis vel rectius dicam in hoc numo.

72. *Sphinx ad s. ante racemus uvarum.*
 ΑΝΔΡΩΝΑ (?) *amphora* ΧΙΟΣ, *omnia intra coronam.* AR. 4½.
 Mionnet III, p. 267, n. 22.

73. *Sphinx ut in superiore.*
 ΑΠΕΛΛΗΣ *amphora* ΧΙΟΣ *caduceus alatus, intra coronam omnia.* AR. 4½.
 Mus. Allier; Mionnet l. l. n. 23 et Dumersan p. 89.

74. *Sphinx ad d. altero pede erecto racemum tenens, caduceo insidens.*
 ΠΕΛΛΗΣ (ↄ: *'Απέλλης*) *amphora* ΧΙΟΣ, *omnia intra coronam.* Æ. 2½.
